UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

**Diana, Antonino**

**Lugduni, 1680**

De Absolutione Excommunicationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76372

Visual Library

cedere & ideo non deſinam hîc apponere verba Ioan. Paroletti. *in paraſtra Cleric. part. 2. ſect. 1. cap. 1. tit. de perſonal. lit. G, fol. mihi 29.* ubi ſic aſſerit; Ad redemptionem anticipatæ ſolutionis requiritur Papæ authoritas, quia penſio eſt jus ſpirituali annexum, immo eſſet ſimonia, quia habet annexam obligationem ſpiritualem recitandi officium B.V. ita eſt ſtylus Curiæ; Sot. *de Juſt. l. 9. q. 7. art. 2.* Azor. tamen *cap. 10. quæſt. 10.* excuſat à pœnis ſimoniæ, non à peccato & punitione in foro exteriori. Immo Cajet. *tom. 1 opuſc. tract. 31. reſp. 10.* innuit privata authoritate licere, quia penſio eſt quid temporale, vt fructus. Prima tamen eſt verior. Ita Parolettus *ubi ſupra*.

## *DE ABSOLVTIONE Excommunicationis.*

### RESOL. CLXXXI.

*An Pontifex poſſit aliquem abſolvere à cenſuris actu ſolo interiori?*

*Et aliqua primo ſupponuntur pro ſolutione prædictæ quæſtionis.*

*Et docetur, quod in foro conſcientiæ in Sacramento, vel extra non debet abſolvens verberare excommunicatum; nec cum Pſalmis, & Precibus illum abſolvere, ſed, &c.* Ex part. 11. tract. 3. & Miſc. 3. Reſol. 36.

§ 1. SVppono alios à Summo Pontifice non poſſe; nam verbis, vel ſcriptura cenſuræ abſolutionem præſtandam eſſe non ſolùm in foro exteriori & judiciali, ſed in foro conſcientiæ probat uſus; & colligitur *ex cap. cum deſideres, de ſententia excomm. & Clem. vn. eodem tit.* ubi non cenſetur abſolutus ab excommunicatione is quocum Summus Pontifex ſcienter communicat. Addit tamen Gaſpar Hurtado *diſp. 14. de excom. diff. 4.* non eſſe mortale aliis ſignis abſolutionem conferre, quod non credo maximè in abſolutione judiciali, tum quia adverſatur conſuetudini receptæ in re gravi; tum quia eſt ſatis dubium, an ea abſolutio ſubſiſtat; & ita docet Palaus *tom. 6. diſp. 1. punct. 11. § 3. num. 3.*

2. Difficultas eſt, quoad caſum propoſitum de Summo Pontifice, & ad illam affirmativè reſpondet Magiſter Hynojoſa *in direct. deciſion. regular. verb. abſolutio 3. fol. 13.* ubi ſic ait: Abſolventes in foro conſcientiæ, in Sacramento, vel extra ab excommunicatione non debent verberare, nec cum Pſalmo, & Precibus abſolvere excommunicatum, quia hæc intelliguntur de abſolutione ſolemni in foro exteriori judicialiter facta, debet tamen parti ſatisfieri; Immò abſolvere poteſt ab excommunicatione per actum interiorem Summus Pontifex, quia non ſubjacet formæ abſolutionis traditæ in jure. Immò poteſt voluntate tollere legem ſuam. Quod nequit alius quiſpiam inferior Papa facere; etiamſi cum voluntate abſolvendi ſalutaret excommunicatum, quia ſubjiciuntur omnes formæ traditæ in jure circa abſolutionem ab excommunicatione; quia tamen conſtare nequit de actu interiori Papæ niſi exprimat: ideo oportet ſaltim dicere, quod voluit abſolvere. Ita ille.

Sup. hoc ritu, & validitate abſolutionis, & juramento petendo hic ſequentibus, inf. in Reſ.

3. Sed id, quod ipſe aſſerit de juramento non petendo, non eſt ita abſolutè admittendum; ideò aſſero, quòd Ritus ſervandus in abſolutione judiciali à cenſura excommunicationis præſcribitur *in cap. à nobis, 28. de ſententia excomm.* & habetur in Pontificali Romano, Hujus omiſſio neque abſolutionem invalidam reddit, ut omnes fatentur, neque illicitam graviter, niſi in ſolemni aliqua abſolutione ad ſatisfactionem Eccleſiæ facta, ut notavit Gaſpar Hurtado, *diſp. 14. de excomm. diffic. 4.* in abſolutione autem pœnitentiali, etſi expediat regulariter prædictas cæremonias ſervari, vt cenſuratus cautior in poſterum ſit; certum eſt abſque gravi culpa omitti poſſe, vti viri timorati faciunt. Si excommunicatio ob grave delictum incurſa eſt; v.g. ob incendium, gravemque clerici percuſſionem neceſſario ſub gravi culpa exigendum eſt juramentum ab abſolvendo; quod in ſimile delictum non incidet, juxta *Textum ex cap. ex tenore cap. de cætero, cap. cum deſideres, de ſentent. excomm.* & tradunt ferè omnes DD. Proceditque tam in abſolutione judiciali, quàm pœnitentiali. In abſolutione verò excommunicationis, alteriuſve cenſuræ incurſæ ob delicta leviora, non eſt prædictum juramentum ex obligatione exigendum, vti docet Henriquez *lib. 13. cap. 28. n. 4.* Avila *2. p. de cenſur. cap. 7. diſput. 3. dub. 1.* Coninch *diſp. 14. dub. 16. num. 204.* Gaſpar. Hurtado *diſp. 14. de excom. diffic. 4.* Ab hac tamen obligatione juramentum præſtandi eximuntur impuberes *argument. cap. 1. & fin. de ſent. excom.* Vbi pueri ob percuſſionem Clerici jubentur abſolvi nulla mentione juramenti facta, & tradit Sylveſter *abſolut. 3. n. 3.* Henriquez *l. 13. cap. 29. n. 3.* Vgolin. *de cenſur. tab. 1. cap. 19. §. 5. n. 2.* Sayrus *l. 2. Theſauri caſuum cap. 17. n. 3.*

### RESOL. CLXXXII.

*De effectu excommunicationis minoris, & de ejus abſolutione?*

*Et an excommunicatus excommunicatione minori, licet validè adminiſtret Sacramenta, peccet tamen in eorum adminiſtratione?*

*Et an ſimplex Sacerdos non approbatus ab Ordinario poſſit abſolvere ab excommunicatione minori, quamvis ſic excommunicatus habeat peccatum mortale?*

*Et quid quamvis ſupradicta excommunicatio incurſa ſit ob peccatum mortale?*

*Et an ex delegatione non ſolum ſimplex Sacerdos, ſed etiam Diaconus, aut quilibet alius Clericus poſſit à minori excommunicatione abſolvere?*

*Et an ſi excommunicatus excommunicatione minori celebret, vel recipiat aliquod Sacramentum incurrat irregularitatem, vel majorem excommunicationem?*

*Et notatur electionem paſſivam ejus, qui eſt irretitus excommunicatione minori non eſſe irritam, ſed irritandam.* Ex part. 5. tract. 9. Reſol. 3.

§. 1. EXcommunicatio minor directè tantùm privat à receptione, ſeu paſſiva participatione Sacramentorum, vt patet *ex cap. 2. de except. & ex cap. vlt. de Cler. excommunicat. & ex cap. penultimo, de ſent. excomm.*

2. Sed primò difficultas eſt, an excommunicatus excommunicatione minori, licèt validè adminiſtret Sacramenta, ut patet *ex d. cap. vlt. de Cler. excom.* peccet tamen in eorum adminiſtratione? Prima opinio docet peccare mortaliter; Ita Vaſquez, Sylveſter, & Armilla. Secunda opinio docet peccare tantùm venialiter; Ita Avila, Sotus, Toletus, Coninch, & Alterius. Tertia opinio, quæ mihi tanquam probabilior magis placet, aſſerit excommunicatum excommunicatione minori non peccare adminiſtrando Sacramenta, quia excommunicatio minor id non prohibet, cùm non privet activa adminiſtratione Sacramentorum, ſed tantùm eorum receptione, vt patet ex juribus allegatis, & ita docet Filliucius, Suarez Navarr. & alij quos citat, & ſequitur Præpoſ. *in 3. p. q. 2. de excomm. dub. 3. n. 16.* & Hurtado *de excomm. diſp. 16. diffic. 1. n. 4.*

3. Secundò difficultas eſt, an ſimplex Sacerdos non appro

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

approbatus ab Ordinario poſſit abſolvere ab excommunicatione minori? Prima opinio negat, quia excommunicatio minor eſt pœna à judice inflicta: ergo requirit jurisdictionem contentioſam in abſoluente, quam non habet ſimplex Sacerdos. Ita Tannerus *tom.4. diſput.6. quæſt.8. n.6.* Cornejo *in 3. part. tract.1. de excommun. diſp.11. dub. ult.* Coninch. *diſp.14 dub.17. n.265.* Vaſquez & Avila. Secunda opinio affirmat, maximè quando ſic excommunicatus non habet peccatum mortale. Ita Felinus, Tabiena, Armilla, Navarr. & Toletus. Vnde non deſinam hîc apponere verba Ioannis de la Cruz *in direct. conſc. part.2. de excommun. notab.2.* ubi ſic ait: Sententia, quòd omnis Sacerdos poteſt abſolvere ab iſta excommunicatione, eſt ſatis probabilis, ut videtur colligi ex D. Thom. *in addit. quæſt.24. art.1.* ubi ait: Qui poteſt abſolvere à peccato participationis, poteſt abſolvere à minori excommunicatione; ſed peccatum participationis ſolet eſſe veniale à quo quivis Sacerdos abſoluit: Ergo, & ſic, qui juxta iſtam ſententiam abſoluit, non incurrit excommunicationem Clementinæ *Religioſi, de privileg.* contra Religioſos non expoſitos abſoluentes ab excommunicatione. Ita Sylveſter *ver. excommunicatio* 7. Tabiena *ver. excommunicatio* 5. & Manuel Rodriquez *in quæſt. regularibus, tom.1. q.61. art.11.* Maximè, quia nomine excommunicationis intelligitur abſolutè excommunicatio major, juxta *cap. ſi quem, de ſent. excommun.* Ita Ioan. de la Cruz. vide etiam Philippum de la Cruz *de Confeſſ. tract.2. §.1.* Sed quidquid ſit de hoc, ego teneo cum Hurtado *ubi ſuprà, diffic. 2. num.* 10. excommunicationem minorem incurſam ob peccatum veniale, etiam poſſe abſolui à ſimplici Sacerdote, quamvis ſic excommunicatus habeat peccatum mortale, ut judicant Tabiena & Armilla, cum ille poſſit abſolvere à peccato, ob quod fuit incurſa; ſicut etiam proprius Sacerdos & Confeſſarius ordinarius poſſunt ab illa abſolvere, quamvis ſic excommunicatus habeat alia peccata mortalia reſervata, à quibus non poſſunt abſolvere, ex eo quòd quantum eſt ex ſe, poſsũt abſolvere, verè à peccato, ob quod fuit incurſa excommunicatio. Immò poſſe abſolvi à quolibet ſimplici Sacerdote, quamvis ſit incurſa ob peccatum mortale, judicat Felinus & Armilla, quod non eſt omnino à ratione alienum, quia cùm excommunicatio minor non exigat ad ſui incurſionem peccatum mortale, non videtur exigere abſoluentem potentem abſolvere ab eo peccato mortali. Ita Hurtado.

4. Notandum eſt hîc obiter cum Cornejo *ubi ſuprà*, quod ex delegatione non ſolùm ſimplex Sacerdos, ſed etiam Diaconus, aut quilibet alius Clericus poteſt à minori excommunicatione abſolvere. Nota etiam cum Præpoſito *loco citato*, & aliis * electionem paſſivam ejus, qui eſt irretitus excommunicatione minori non eſſe irritam, ſed irritandam; & ſi excommunicatus excommunicatione minori celebret, vel recipiat aliquod Sacramentum, non incurrere irregularitatem, vel majorem excõmunicationem. Ita Villalobos *in ſumma tom.1. tract.17. difficult.32. n.2.* & alij.

---

RESOL. CLXXXIII.

*An abſolutio excommunicationis valeat, ſi dicat:* Abſolvo te, *non addendo, ab excommunicatione, vel ſuſpenſione?*

*Et quid, ſi abſolutio detur invito, vel detur non petenti, ut fieri ſolet in confeſſione ante abſolutionem ſacramentalem à peccatis, etiam quando pœnitens nihil cogitat de abſolutione à cenſuris?*

*Et in §. ultimo huius Reſolutionis aliqua alia valde notanda diſcutiuntur pro abſolutione excommunicationis, & eius forma.* Ex part. 5. tractat. 9. Reſol. 31.

§.1. NOn eſſe neceſſarium exprimere nomen cenſuræ, à qua datur abſolutio, ita ut talis ſit valida, docet Vgolinus *de cenſ. tab.1. c.23* quia ambiguitas illius verbi, *abſolvo*, determinatur ſufficienter per intentionem abſoluentis, è contra verò Sylveſter *ver. abſolutio 2. §. Quantum eſt*, docet non valere talem abſolutionem eo quòd verbum, *abſolvo*, ad diverſa ſignificanda trahi poteſt, ſcilicet ad peccata, & ad pœnas, nec ſufficienter determinatur per ſolam intentionem, quia illa determinatio deberet eſſe ſenſibilis. Reſpondeo talem viam tenendam eſſe, quod ſi à petente abſolutionem determinetur cenſura, tunc ut abſolutio valida ſit, non eſt opus eam exprimere, ſed ſatis eſt dicere. Ego te abſolvo, quia ratione petitionis ſufficienter determinatur intentio, & ſignificatio illius verbi, *Abſolvo*: ſicut propter eandem rationem in ſacramento Pœnitentiæ ſatis eſt dicere, *Ego te abſolvo*, nulla facta mentione peccatorum ut docet D. Thom. *3. part. q.84. art.1.* Si verò abſolutio à cenſura detur invito, quod fieri poſſe dicemus infrà, vel detur non petenti, ut fieri ſolet in confeſſione ante abſolutionem ſacramentalem à peccatis, etiam quando pœnitens nihil cogitat de abſolutione à cenſuris, tunc ut abſolutio à cenſura valida ſit, neceſſarium eſt eam in abſolutione exprimere, quia aliter non determinatur ſenſibiliter ſignificatio hujus verbi, *abſolvo*, quantum ſatis eſt, & ita ex Suarez docet Cornejo *in 3. part. diſp. 11. dub.3. q.2.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract.16. diffic.23. n.1.* Turrianus *de cenſ. lib.2. diſp.24. dub.3.* Coninch *de Sacram. diſp.14. dub.5. n.31.*

Sup. hoc in to.1. tr.4. ex lata doctrina Reſ. 5. §. Dico paulò pòſt initium, à verſ. Confirmatur, quia ſi quis.

Sup. hoc an ſit licita talis abſolutio inf. in Reſ. 189. & inferius in tr. 8. Reſ. 18. curſim ad med. verſ. Y cõtra ſu voluntad. & in tom. 3. tr. 2. ex doctrina Reſ. 82. §. Nec fũdamẽta, breviter à lin. 26

2 Notandum eſt tamen hîc obiter, per ſe loquendo, non eſſe neceſſarium explicare cauſam, ob quam quis incurrit cenſuram, poteſt tamen eſſe neceſſarium, quando quis eſſet ligatus pluribus cenſuris, & ſolùm ab una abſolveretur, tunc enim aliquo modo vel expreſsè, vel implicitè ex circunſtantiis debet conſtare, de qua cenſura abſoluatur. An vero ſit neceſſarium, ut abſolutio per verba, vel per ſcriptum proferatur, dico validam eſſe abſolutionem per verba, vel per ſcripturam; difficultas verò eſt de aliis ſignis, ſeu actionibus, & quidem ſermo poteſt eſſe vel de ſummo Pontifice vel de inferioribus Prælatis, & de his Doctores docent nihil efficere, niſi verbis, aut ſcriptura abſolvant, & colligunt ex *Clement. ult. de ſent. excomm.* quod revera pendet ex jure poſitivo. Si verò de Pontifice ſit ſermo, certum eſſe debet, qualibet alia actione id poſſe facere, ut docuit P. Suar. *ſuprà*. Ex dictis intelligitur de eſſentia hujus formæ abſolvendi ab excommunicatione ſolùm eſſe ea verba, quæ ſenſum hujus abſolutionis exprimunt. Solet verò à DD. inferri hæc forma: Abſolvo te à vinculo excommunicationis, ob talem cauſam, & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ & communioni fidelium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Sed ex dictis patet non omnia hæc verba eſſe de eſſentia formæ. Vide Turrianum & Cornejo *locis citatis*, quibus adde Sayrum *libro 2. c.21. n.2.*

---

RESOL. CLXXXIV.

*An ſit peccatum mortale relinquere cæremonias in abſolutione excommunicationis?*

*Et in quo ſenſu intelligatur iuramentum, quod exigitur ab excommunicato?* Ex part. 5. tract. 9. Reſ. 23.

§.1. REſpondeo negativè, ſecluſo contemptu & ſcandalo, & ita ex Suarez docet Tannerus *tom.4. diſp.6. q.10. dub.6. num.124.* Turrianus *de cenſ. lib.2. diſp.24. dub.3.* Avila *part.2. cap.7. diſp.3. dub.2.* &

Sup hoc ſup. in Reſ. 181. § ult. curſim in princ.

Villalobos

Villalobos *in ſum.tom.1.tract.16.diffic.14.n.5.* ſed mendicantes, ut obſervat etiam ex Suarez Turrianus, habent privilegium abſolvendi ſine ſolenitatibus: unde ſi quis in abſolutione excommunicati ſine contemptu non exigeret juramentum, vel non recitaret aliquem Pſalmum pœnitentialem, aut orationem Dominicam, &c. non peccaret, niſi tantum venialiter.

2. Sed hic obiter quærendum eſt quo ſenſu intelligatur prædictum juramentum, quod exigitur ab excommunicato, ut ſuprà retulimus. P. Suarez *n.*10. dicit non inducere obligationem obſervandi omnia mandata Eccleſiæ, quia eſſet novum onus imponere fidelibus, quo peccent malitia ſpeciali contra Religionem juramenti, quoties aliquod Eccleſiæ præceptum violarent. Addit intelligi de non violando legem ob cujus tranſgreſſionem impoſita fuit excommunicatio; ſed neque habetur uſu receptum, & ſaltem ob ignorantiam excuſantem homines à novo peccato. Ita Cajet. *in ſum. verb. abſolutio*, docet hoc juramentum non eſſe poſtulandum niſi in magnis criminibus, interdum verò juramentum ſolum de ſatiſfactione exhibenda, & ita docet Turrianus *ubi ſuprà*, quod eſt valde notandum.

Sup. hoc in Reſ. ſeq. §.1. & in §. not. præteritæ.

## RESOL. CLXXXV.

*An juramentum de parendo, &c. præſtandum ſit ſemper in abſolutione excommunicationis majoris, & ſi omittatur, quando debet præſtari, an abſolutio ſit nulla?* Ex part.5. tract.9. Reſ.68.

Sup. hoc in fin. præced. Reſ. Sed lege eam per totam, & pro contento in hac Reſ. ſup. in Reſ. 181. §. ult.

§.1. CAſus ſunt practicabiles, & ad primum reſpondent Sylveſter & D. Anton. quos ſequitur Cajetanus, ſolum eſſe exigendum in magnis criminibus, ut in hæreticis, incendiariis, falſariis, Clericorum percuſſoribus, ac ſimilibus. Pro contraria tamen ſententia facit quòd jus diſcrimen nullum ponat in criminibus, ut conſtat ex *c. cum deſideres, de ſent. excomm.* Dici tamen poteſt ſervari poſſe, quod docent illi authores citati, ea in abſolutione, quæ datur in foro interiori; in foro autem exteriori ſtandum eſſe conſuetudini loci, ſi legitimè præſcripſit.

2. Ad ſecundum dubium an abſolutio quando omittitur juramentum, ſit utilis, ſeu valida? Reſpondeo omiſſo juramento, cùm à jure præſcribitur, placuit quibuſdam non valere abſolutionem, ut refert gl. *in d.c. cùm deſideres, de ſent. excommunicat. verbo, niſi forma.* & adſcribitur Hoſtienſi. Nihilominus dicendum eſt valere abſolutionem, ut docet, gloſſa citata, Abb. *ibid.* probatur communis ſententia ex *cap. ſuper eo. 2. de ſententia excommunicationis*, ubi abſolutio data illi, qui jurare noluit, valida aſſeritur, nec ulla conſtitutio juris eſt, quæ oſtendat juramentum eſſe de eſſentia abſolutionis, aut ad ullam ejus cauſam intrinſecam ſpectare, & hæc omnia docet Gordonus *tom. 2. lib. 7. q. 12. c. 9. §. 3. n. 75.*

## RESOL. CLXXXVI.

*An excommunicatus, ſi non poteſt ſatisfacere, debeat ſaltem confeſſario præſtare cautionem iuratoriam?*
*Et an ille proceſſus ſatisfactionis, & cautionis pignoratitiæ & juratoriæ intelligendus ſit pro foro pœnitentiali deficiente poſſibilitate pœnitentis, propoſitum ejus firmum tantum valeat?* Ex part.2. tract.16. & Miſc.2. Reſ.42. alias 44.

Sup. hoc quamvis ex vi Cruciatæ lege tamẽ in

§.1. DOctores communiter affirmativam ſententiam docent, ſed cùm viderem confeſſarios etiam communiter in praxi non obſervare, non parum laboravi, ut invenirem aliquos Doctores, pro tuenda eorum praxi, & pro contraria ſententia firmanda, & tandem inveni Ioan. Valerum *in differentiis utriuſque fori, ver. abſolutio, differ. 5. n. 3. & differ. 11. in fin.* & Henriquez *lib. 7. c. 13. n. 2. in gloſſa littera I. & c. 28. n. 3. in gloſſ. littera A.* aſſerere, in foro conſcientiæ, ſatis eſſe propoſitum firmum pœnitentis, quia cautio juratoria, *cap. ſolet. de ſentent. excomm. in 6.* requiritur tantùm pro foro exteriori, in caſibus expreſſis. Et ita etiam docet Navarrus *c. 27. n. 278.* ſic limitans quod dicit *in c. 26. n. 3.*

2. Dicendum eſt igitur probabiliter, cum ſupradictis Doctoribus, quòd ille proceſſus ſatisfactionis, & cautionis pignoratitiæ, & juratoriæ, videtur intelligendus pro foro exteriori, nam in foro pœnitentiali deficiente poſſibilitate pœnitentis, propoſitum ejus firmum tantum valet, quantum datio pignorum, vel fidejuſſorum, in foro judiciali. Ergo in foro conſcientiæ ſatis erit credere pœnitenti.

## RESOL. CLXXXVII.

*An excommunicatus, ut abſolvatur, ſufficiat dare fidejuſſoriam cautionem, ſi non poteſt dare pignoratitiam?*
*Et qui incurrit excommunicationem, eo quod cum potuit, non ſoluit decimas, ſi poſtea fiat impotens, an poſſit abſolvi per Bullam cum cautione, non obſtante Concilio Tridentino* ſeſſ.24. cap.12. de Reformat. *dicente talem non eſſe abſolvendum, niſi plena reſtitutione ſubſequuta?* Ex p.5. tract.9. Reſ.39.

§.1. LIcet Cajetanus *ver. abſoluto cap. 4.* & Navar. *c. 26. n. 7.* dicant, quòd ſi pœnitens poteſt dare pignoratitiam cautionem, tenetur ad illam, & ſi hanc non, ad fidejuſſoriam, & ſi nec iſtam, tenetur ad juratoriam. Probabilius tamen eſt, quòd cautio, quæ exigitur à jure, intelligi debet disjunctivè, ita quòd ſi excommunicatus habet pignora, non tenetur dare illa, ſed ſufficiat dare fidejuſſoriam. Videtur autem quòd ſi poteſt dare alteram illarum cautionum, non ſatisfaciat in conſcientia, dando juratoriam, quia hoc poteſt vergere in grave detrimentum partis læſæ. Et ita docet Ludovic. de la Cruz *in Bulla Cruc. diſp. 1. c. 4. dub. 2. n. 15.* imò probabiliter aliqui, quos ego alibi citavi, docent ſufficere cautionem iuratoriam, etiamſi poſſit dare fidejuſſoriam, vel pignoratitiam, quod eſt valde notandum.

2. Notandum eſt hîc obiter, quòd qui incurrit excommunicationem, eo quòd cùm potuit, non ſoluit decimas, ſi poſtea fiat impotens, poteſt abſolvi per Bullam cum cautione, non obſtante Tridentino *ſeſſ. 24. c. 12. de reformatione*, dicente talem non eſſe abſolvendum, niſi plena reſtitutione ſequuta, quod idem in ſimili dicunt DD. *in expoſitione conſtitutionis de largitione munerum Regularibus interdicta*, quam noviſſime edidit Sanctiſſ. Clemens VIII.

## RESOLVTIO CLXXXVIII.

*An pœnitens oblitus cenſuræ exigentis ſatisfactionem remaneat abſolutus per generalem abſolutionem collatam à confeſſario poteſtatem habente?*
*Et an pœnitens in confeſſione etiam extra jubilæum facta, ſi nullam faciat mentionem cenſurarum, remaneat abſolutus ab illis, quarum ſit inculpabiliter oblitus, etiamſi Superior Confeſſarius non habuiſſet expreſſam intentionem ab his abſolvendi?*
*Et difficultas eſt, an pœnitens talis remaneat abſolutus ab his, quas culpabiliter non expreſſerit, quoties abſo-*

lutio

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*lutio ſit collata ab habente poteſtatem ordinariam ?* Ex p.7.tract.10. & Miſc.1. Reſ.12.

§.1. NEgativè reſpondet Coninch. *de Sacramentis, diſputatione octava, dub.* 17. *numero* 97. Bonacina *de Sacramento Pœnitentiæ, diſputat. prima, quæſt. tertia, punct. ſexto, numero quarto.* Leo *de Iubilæo, parte ſecunda, numero* 200. Avila *ubi infrà*, & alij. Quia non eſt credendum Confeſſarium velle abſolvere à cenſura non expreſſa, à qua etiamſi eſſet expreſſa non poteſt licitè abſolvere, niſi præmiſſa ſatiſfactione reali.

2. Hæc opinio eſt ſatis probabilis, ſed affirmativam probabilem etiam eſſe puto. Et ratio eſt, quia ſtante hac oblivione inculpabili, nullum adeſt impedimentum, neque ex parte Confeſſarij, neque ex parte Pœnitentis, quominus poſſit & validè, & licitè abſolvi, cum ſufficiat efficax propoſitum ſatisfaciendi, quando impoſſibilis eſt realis ſatisfactio, Sed quando quis inculpabiliter ignorat, ſeu obliviſcitur ſe teneri ad ſatisfaciendum, verè pro eo tempore ſatisfactio hæc dici poteſt impoſſibilis. Ergo pro eo tempore ſufficiet propoſitum reſtituendi. Ergo ſtante hoc propoſito dicendus erit pœnitens abſolutus. Et hanc ſententiam tanquam probabilem admittunt etiam Doctores contrarij; & ideò Avila *de Cenſ. parte ſecunda, capite ſeptimo, diſputatione tertia, dub.* 9. *concluſione ſecunda*, ſic aſſerit. Ex ſecunda concluſione inferunt nonnulli juniores, quòd ſi aliquis eſt excommunicatus excommunicatione exigente ſatisfactionem partis, & oblitus eſt confiteri peccatum illud, propter quod incurrit excommunicationem, & confeſſus eſt Confeſſori habenti facultatem ad abſolvendum à tali excommunicatione virtute Bullæ Cruciatæ, vel alterius privilegij per abſolutionem generalem, quæ datur ad cautelam, verè manet abſolutus à tali excommunicatione. Verumtamen quamvis hoc ſit probabile, oppoſitum judico probabilius; quia non eſt præſumendum, Confeſſorem habere intentionem abſolvendi à tali excommunicatione, quæ ſi à pœnitente manifeſtaretur, & abſolveret ab ea ſine ſatisfactione, vel cautione, peccaret mortaliter. Ita ille, cui ego libenter adhæreo.

3. Notandum eſt hîc obiter id quod etiam alibi adnotavi pœnitentem in confeſſione etiam extra Iubilæum factam, ſi nullam faciat mentionem cenſurarum, remanere abſolutum ab illis, quarum ſit inculpabiliter oblitus. Etiamſi ſuperior Confeſſarius non habuiſſet expreſſam intentionem ab iis abſolvendi; quia abſolutio illa impenditur in ordine ad abſolutionem ſacramentalem, ad quam neceſſaria eſt abſolutio ab omnibus cenſuris etiam reſervatis. Sed difficultas eſt an talis pœnitens remaneat abſolutus ab iis, quas culpabiliter non expreſſerit quoties abſolutio ſit collata ab habente poteſtatem ordinariam? Et ratio eſt, quia abſolutio ab excommunicatione pendet à poteſtate, & intentione abſoluentis. Ergò ſi abſolventis intentio eſt ab omnibus abſolvendi, tenebit abſolutio, etiamſi aliqua culpabiliter non fuerit expreſſa. Et hanc ſententiam tenet etiam Angelus Boſſius *de Iubilæo, ſectione prima, caſ.* 18. *numero vigeſimo primo.*

---

## RESOL. CLXXXIX.

*An licitè quis abſolvatur ab excommunicatione invitus, licet non velit deſiſtere à contumacia, & à peccato, per quod fuit excommunicatus?*

*Et an hoc intelligatur tantum de abſolutione ab homine non autem de abſolutione à jure?*

*Et an per Bullam Cruciatæ, Iubilæum, vel aliud privilegium conceſſum in favorem pœnitentis non poſſit abſolvi invitus ab excommunicatione, ſecus ſi privilegium ſit conceſſum in favorem Confeſſarij, ut ſi ſit Religioſus, &c.* Ex part.5. tract.9. Reſ.10.

§.1. VAlidam eſſe talem abſolutionem non eſt dubium; difficultas eſt an ſit licita? Multi Iuriſtæ putant eſſe licitam, ut latè refert & defendit Vgolinus *tabula* 1. *cap.*19. §.2.*num.*3. P. Suarez docet primò ſi ſit ab homine, poſſe ab eo licitè tolli, juſtis de cauſis, & obſervatis prudenter circumſtantiis, & hoc non eſt contra aliquod jus divinum, aut humanum. Secundò ſi ſit lata à jure, dicit quòd erit obſervanda forma aſſignata, ſi ſit jure aſſignata, ſecus prudenter rem eſſe conſiderandam, ut fiat ſine peccato, S.Thom. quidem *in* 4. *diſtinct.*18.*quæſt.*2.*art.*8. abſolutè dixit poſſe diſcretè auferri, ſi quis videat ſaluti illius expedire, in quem lata eſt. Et P. Vaſquez *dub.*18.*num.*14. breviter dixit illum non eſſe abſolvendum, niſi majus malum ſequeretur, & mihi videtur, prudenter conſideratis circumſtantiis, poſſe licitè abſolvi aliquem ab excommunicatione invitum. Et hæc omnia docet Turrian. *de cenſuris lib.* 2. *diſp.*24. *dub.* 7. ſed circa præſentem quæſtionem ne deſeras videre Philippum Fabrum *de cenſ. in* 4. *ſentent. diſt.*25.*q.*1. *diſp.*4. *c.*8. *n.*261. ubi obſervat ex multis licere abſolvere invitum ab excommunicatione, licèt non velit deſiſtere à contumacia, & à peccato, propter quod fuit excommunicatus, & hoc quando judex cognoſcens quòd excommunicatio non prodeſt, ſed obeſt, & conſequenter non ſit medicina, ſed venenum, tunc enim ſi judex cognoſcat prudenter, quòd ſi abſolvatur etiam invitus & contumax, hoc proderit ipſi excommunicato, licitè poterit illum abſolvere; ſed hoc dicunt de abſolutione ab homine, ac non de abſolutione à jure. Ab hac enim dicunt nunquam licere abſolvere, niſi petat abſolutionem, & ceſſet à peccato. Tamen hoc etiam licere de excommunicatione à jure, tenent recentiores, quando in jure non cavetur, ut ullo modo abſolvatur, niſi ſatisfaciat, &c. quia tunc videtur facultas tota commiſſa prudenti judicio judicis, ideo ſi judicet expedire poterit licitè ab illa abſolvere, ſi adſint tres conditiones. Prima quòd hoc non ſit in præjudicium tertij, quia hîc eſſet actus contra juſtitiam. Secunda, dummodo non adſit ſcandalum, nec contemptus cenſuræ. Tertia, quòd ſint ſufficientia ſigna, quòd talis cenſura potius detrimentum afferat, quàm utilitatem, & quòd procedendo via ſuaviori obedientiam obtinebit; ſunt enim quidam, qui magis moventur ſuavi admonitione, quàm rigoroſa flagellatione.

Pro validitate ſup. in Reſ.183. §.1. poſt med. verſ. Si verò, & in aliis ejus not. & an ſit licita inf. in tr. 8. vide Reſ 18. curſim poſt med. verſ. Y contra ſu voluntad. & in tom.3. tr. 2. Reſ. 82. §. Nec fundamenta breviter à lin 2 & in to. 1. tr. 4. Reſ.58 §. Secundò Canones.

2. Nota etiam quòd concluſio intelligitur de abſolvente per poteſtatem ordinariam, & abſolutam, independentem à voluntate excommunicati, unde per Bullam Cruciatæ, vel Iubilæum, vel aliud privilegium conceſſum in favorem pœnitentis, non poteſt abſolvi invitus. Ita P. Henriquez, & aliqui Magiſtri; nam uſus privilegij pendet ex voluntate utentis illo, unde ſi non vult uti illo, non habebit Confeſſarius facultatem abſolvendi virtute illius. Dico conceſſum in favorem pœnitentis, nam ſi ſit conceſſum in favorem Confeſſarij, ut ſi ſit Religioſus, qui abſoluit virtute privilegij conceſſi ipſi Religioni, credo quòd abſolutio erit valida.

---

## RESOL. CXC.

*An abſolutio ab excommunicatione data ſub conditione*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*in futurum validè conferatur?* Ex part. 5. tract. 9. Reſ. 14.

§.1. RESpondeo, quod abſolutio à cenſura non ſolùm abſolutè, ſed etiam ſub conditione in futurum pendente, validè conferri poteſt. Vt v.g. Te abſolvo ab excommunicatione, ſi infra quindecim dies, vel cras reſtitueris. Et ideo non deſinam hîc apponere verba Turriani *de cenſ.lib.2.diſp.14.dub.1.* ubi ſic ait, abſolutionem excommunicationis concedi poſſe ſub conditione; Probatur primò ex *cap. praterea, 2. de appellationibus*, ubi tanquam valida cenſetur hæc excommunicatio, ſi quis judex protulerit. Si intra viginti dies non ſatisfeceris, te excommunicamus. Ergò à ſimili poſſet ferri abſolutio conditionalis. Idem probat Pater Vaſquez à ſimili de eo, qui abſolvit pro certo tempore, quo elapſo reincidat, ſi non ſatisfecerit. Et mihi hæc ſententia probatur, quia non video rationem aliquam, ob quam dicamus non poſſe abſolutionem eo modo conferri. Ita Turrianus. Videantur etiam Suarez *de cenſ.diſp.7.ſect.8.num.11.* Hurtado *de excommun.diſp.14.diffic.2.n.1.* Coninch *de Sacram.diſp.14.n.218.* Præpoſitus *in 3.par.q.1.de cenſ. in communi dub.15.n.110.* Henriquez *lib.13. c.19.n.4.* & Emanuel Sà *ver. abſolutio ab excommunicatione, n.2.* Vnde ex his apparet refellendam eſſe ſententiam D. Antonini *in 3. par.tit. 24. cap.7.* Angeli *ver. excomm.2. n. 5.* & Sylveſtri *ver. abſolutio 3. n. 1.* docentium abſolutionem ſic factam eſſe illicitam, & nullam, quia abſolutio Sacramentalis à peccatis, cui videtur æquiparanda facta ſub conditione, eſt illicita, & nulla. Item rejiciendus eſt Avila *de cenſ. part. 2. c.7. diſp.3. dub. 15.* docens abſolutionem ſic factam eſſe illicitam, quia eſt contra rationem, quod manet in ſuſpenſo, eſſe tamen validam, utpotè nullo jure irritam. Igitur talis abſolutio data ſub conditione non ſolùm valida eſt, ſed licita, quia abſolutio ſic facta nullo jure irritatur, ac proinde impleta conditione, ſub qua fuit facta, habebit effectum tollendi excommunicationem, & quòd poſſit licitè fieri probatur, quia nullo jure prohibetur, quia non poſitivo, cùm nullum extet, nec naturali, quia ſic abſolvere non eſt contra rationem, ſicut nec excommunicare ſub conditione.

2. Non deſinam tamen hîc adnotare ea, quæ poſt hæc ſcripta inveni apud Villalobos *in ſumma tom.1. tract.16. diffic.22.n.3.* ubi ſic ait: [ Ha ſe mucho de advertir que no es licito abſoluer debaxo de condicion de futuro: lo uno, porque es contra la coſtumbre de la Igleſia: lo otro, porque ha de conſiderar el juez, ſi el reo tiene devida diſpoſicion para abſoluerle, y aſſi dize Navarro, que no es licito. Verdad es que en caſo de grave neceſſidad ( qual ſeria quando deſpues non pudieſſe aver recurſo al ſuperior) le podrian abſolver aſſi, porque no eſtà prohibido en derecho, y Vgolino dize abſolutamente, que es licito abſolver deſta manera, la qual ſentencia tengo por muy verdadera en caſo de neceſſidad. ] Ita ille, quem etiam ſequitur Philippus Faber *de cenſ.in 4.diſt.25.q.1. diſp.4. c.9. n.266.*

---

## RESOL. CXCI.

*An, ut abſolutus ab excommunicatione ad reincidentiam in eam reincidat, ſit neceſſaria nova culpa?*

*Et an qui poteſt abſolutè abſolvere, poſſit etiam ad reincidentiam, quamvis excommunicare non poſſit?* Et par.5. tract.9. Reſ.15.

Pro roborāda doctrina hujus Reſ. &

§.1. DOctè, breviter, & clarè, ut ſemper ſolet, Hurtado Complutenſis *de excomm. diſp. 14. difficult. 3. n. 11.* notat hanc quæſtionem procedere, quando v.g. abſolutus ad reincidentiam, nempe ad tres dies abſque conditione, & ad reliquum tempus ſub conditione alicujus operis, nullo ſuperaddito, quo indicetur abſolutio facta ſub conditione operis non omiſſi culpabiliter: ( ut quando dicitur, abſolvo te ab excommunicatione ad tres dies, ita ut ſi intra eos non ſoluas, reincidas in eam, ) an ſcil. tunc ſic abſolutus reincidat abſque nova culpa, id eſt, ſi inculpabiliter omittat ſolvere, vel aliud facere, vel quia non poteſt, vel aliter. Hoc ſuppoſito ex Suarez & Filliucio ad dubium propoſitum negativè reſpondet Hurtado *loco cit. n. 12.* cui ego addo Turrianum *de cenſ.lib.2. diſp.24. dub. 2.* Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract.16 difficut.23.n.6.* & ratio eſt, quia tunc pro reliquo tempore ultra tempus determinatum, pro quo fuit abſque conditione abſolutus, non abſoluitur abſolutè, ſed ſub conditione operis, nullo ſuperaddito, quo indicetur reſpectus ad culpam, ergo deficiente conditione, quamvis abſque culpa deficiat, non perſeverat abſolutus, ſed reincidit in excommunicationem, & non aliunde, quàm ex vi ſententiæ, quæ fuit primò lata, ex vi cujus perſeveraret, quamvis excommunicatus fieret impotens ad ſolvendum, vel ad aliud opus, ſub cujus conditione fuit abſolutus pro illo reliquo tempore. Et ex his infert Hurtado quòd ſi excommunicatus, qui non ſoluit debitum, & abſolutus fuit ad reincidentiam ad tres dies, ſive omnino abſolutè, ſeu priori modo dicto, ſive pro reliquo tempore ultra tres dies ſub conditione alicujus abſolutè, poſita abſque aliquo indicante reſpectum ad culpam, non impeditur à reincidentia in excommunicationem, ex eo quòd pars conſentiat, quia conſenſus partis tantùm poteſt deſervire, ut ſic abſolutus non peccet non ſolvendo, quod non ſufficit ut non reincidat, quia reincidit ob antiquam culpam, & vi antiquæ ſententiæ, & abſque nova culpa requiſita, ut defectu conditionis requiſitæ ad perſeverantiam abſolutionis, impeditur tamen quando fuit abſolutus ſub cõditione actus omiſſi culpabiliter, quia conſenſus partis efficit, ut omiſſio illius actus ſit inculpabilis, ac proinde ut non deficiat conditio, ſub qua facta fuit abſolutionis perſeverantia.

2. Verùm his non obſtantibus contrariam ſententiam tuentur Avila *de cenſ.2.par.cap.7. diſp.3. dub.14.* Henriquez *lib.13.c.29.n.2.* Navarrus *c.27. n.277.* & alij, quia nemo poteſt de novo ligari aliqua excommunicatione ſine novo peccato: atqui cùm talis fuerit verè abſolutus ab excommunicatione, non poteſt in eam reincidere niſi de novo ea ligetur; ergo opus eſt novo peccato.

3. Dices majorem ſolùm eſſe veram, quando nova excommunicatio infligitur, ſecus autem eſſe quando prior redit, quæ non fuit abſolutè ablata, ſed ſolùm pro certo tempore, & pro reliquo tempore ſub conditione, qua non poſita, eadem excommunicatio propter idem peccatum redit. Sed contra, vel medio illo tempore excommunicatio fuit ſolùm ſuſpenſa, ita ut ſecundùm ſe, & quaſi in actu primo verè manſerit, ita tamẽ ut nullum habuerit effectum, ſicut ſolet interdictum ſuſpendi, & hoc dici nequit, quia ſecundùm jus ordinarium, & communem ſententiam, excommunicatio non poteſt ita ſuſpendi, niſi in quibuſdam caſibus ad certum aliquem effectũ: vel eſt abſolutè ſublata, & tunc impoſſibile eſt redeat, niſi de novo producatur, quod nihil eſt aliud quàm abſolutum de novo iterum excommunicari, quia intelligi nequit, quomodo id quod ſemel verè deſtructum eſt, redeat, niſi de novo producatur ea ratione qua produci poteſt, parum autem facit ad rem, ſive dicatur eſſe eadem numero excommunicatio, ſive diverſa (de quo nolo jam diſputare) quia ſive hoc, ſive illud

illud dicas, æquè graviter alter punitur, & propter eandem culpam bis puniri nequit. Habet igitur utraque ſententia auctores & rationes pro ſe. Vnde meritò Ioan. Præpoſitus *in 3. p. quæſt. 1. de cenſ. in comm. dub. 15. n.* 113. utramque probabilem eſſe putavit.

4. Notandum eſt hîc obiter contra Avilam, quòd qui poteſt abſolutè abſolvere, poteſt etiam ad reincidentiam, quamvis excommunicare non poſſit, quia abſolvens ad reincidentiam, non eſt qui ſecundò excommuninicat, ſed ille qui primò excommunicavit. Ita ex Suarez Hurtado *ubi ſuprà n.* 14.

## RESOL. CXCII.

*An ſi pars dilatet tempus abſolutionis ad reincidentiam à judice factæ, incurratur, elapſo tempore, excommunicatio, vel neceſſe ſit aliam excommunicationem ferre?* Ex part. 5. tr. 9. Reſ. 22.

§. 1. AD hunc caſum ita reſpondet Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 16. diffic. 23. num.* 4. [Quando la parte concede al juez que le abſuelvan ad reincidentiam, por quinze dias, y antes que ſe cumpla el termino, lo alarga la parte por otros quinze dias, en tal caſo haſta que ſe cumplan todos los treynta dias no incurre la diſcomunion, como dizen Abad, Decio, Felino, Suarez, Covar. y Rebufo, el qual dize que es comun. La razon es, porque el termino del juez fue en fovor de la parte, y aſſi ella le puede proregar, como tambien remitiendo la parte el juramento que en ſu favor ſe haze, le remitte Dios, como dize un texto. Y la prorogacion ſiempre ſe entende con todas las calidades y clauſulas de la coſa que ſe proroga, como conſta del derecho. Algunos Dotores tienen que en eſto caſo no ſe incurre la cenſura, ſino ſe pone de nuevo: aſſi parece que lo tienen Sylveſtro, Navar. Pedraza, y Iuan Guttier. fundaſe en que la intencion del juez fue haſta el primero termino, y aſſi paſſando de ai, no incurre ſin nueva ſentencia. La opinion contraria me parece llevar mucho mas camino, y la tienen muchos mas Dotores, y mas graves.] Sic ille, & ego huic poſteriori ſententiæ tanquam probabiliori adhæreo, quicquid in contrarium dicat etiam Henriquez *lib.* 13. *cap.* 2. Dico igitur elapſo termino à parte prorogato incurri excommunicationem abſque novo conſenſu judicis ex vi præcepti à principio facti, & lationis excommunicationis ei annexæ, quia judex, qui præfixit terminum, v. g. trium dierum, ut intra illum fiat aliquid, v. g. ſolutio, non præfixit illum ad finiendum intra illum ſuum præceptum, & lationem excommunicationis ei annexæ, ſed tantùm ad finiendam permiſſionem, aut licentiam differendi impletionem ſui præcepti; ergo etiam poſt terminum à judice præfixum, & poſt terminum à parte prorogatum, perſeverat præceptum judicis, & annexio excommunicationis, ac proinde ex vi lationis excommunicationis in principio factæ abſque novo conſenſu judicis incurritur excommunicatio, non quia pars directè & poteſtativè differat præceptum & lationem excommunicationis, ſed quia differendo, ſeu ſuſpendendo obligationem naturalem in actu ſecundo v. g. ſolvendi, cui judex præcepit ſatisfieri à debitore, conſequenter, & indirectè differt, & ſuſpendit præceptum judicis, & lationem excommunicationis ei annexæ. Et ita docet Hurtado *diſput.* 13. *de excom. diffic.* 5. *num.* 15. & Ioan. Henriquez *in Compend. caſ. mor. cap.* 20. *num.* 5. *&* 6. cum Sanchez *in ſumma tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 55. *num.* 5. *&* 6.



## RESOL. CXCIII.

*An ab excommunicatione lata ab homine generalitèr, quando non reſervatur poſſit abſolvere Parochus, ſeu alius Confeſſarius, qui poteſt ab excommunicatione à jure læa non reſervata?* Ex part. 5. tractat. 9. Reſol. 4.

§. 1. NEgativam ſententiam tenet mordicus Suar. *de cenſ. diſp. 7. ſect. 2. num.* 22. Vaſquez *de excommun. dub.* 19. *num.* 10. & Philippus Faber. *de cenſ. in 4. ſent. diſt. 25. q. 1. diſp. 4. cap* 8. *num.* 241. quia, ait revera excommunicatio generaliter lata contra quoſcumque, qui aliquod delictum fecerint, non eſt excommmunicatio à jure, cùm non ſit regiſtrata in corpore juris, neque ſit ſtatutum aliquod, quia hoc reſpicit futurum, & eſt de peccatis futuris non factis: hæc autem eſt de peccatis, ſeu exceſſibus factis & præteritis, ergo debet de ea judicari, ſicut de excommunicationibus latis ab homine decernitur in jure: de illis autem decernitur quòd non poſſint abſolvi, niſi à judice, qui illas poſuit, vel à ſuo Superiore, ut apertè habetur *c. nuper, de ſentent. excomm,* §. 4. *&* 5. in quo ponitur diſcrimen inter excommunicationem ab homine, & à jure, & excommunicationem ab homine dicitur non relaxari, niſi à judice eam ferente, vel ab ejus Superiore, excommunicationem verò à jure poſſe relaxari ab Epiſcopo, vel à Parocho, ergo dicendum eſt excommunicationem generalem non poſſe relaxari, niſi à judice, qui illam tulit, vel à ſuo Superiore, ut dictum eſt de aliis excommunicationibus ab homine. Sup. ſeſ. ult. hoc in ſeq. §.

2. Sed ego puto ſententiam affirmativam eſſe tenendam, quam tenet etiam Cornejo *in 3. p. tr.* 5. *de excommun. diſput.* 11. *dub.* 3. Sà *ver. abſolutio ab excommunicatione, num.* 15. Coninch *de cenſur. diſput.* 14. *dub.* 16. *num.* 257. Avila *de cenſ. part.* 2. *cap.* 7. *diſput.* 1. *dub.* 8. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 28. *num.* 5. Layman *tract.* 5. *p.* 1. *cap.* 7. *num.* 3. & Hurtado *de excomm. diſput.* 15. *diffic.* 6. *num.* 21. quia cùm abſolvendo à dicta excommunicatione non turbetur tribunal judicis illam ferentis, eo ipſo quòd ejus abſolutio non reſervatur, committi videtur cuicumque, qui poteſt abſolvere à peccato, ob quod incurritur, non minus quàm abſolutio ab excommunicatione à jure lata, quamvis in dicto cap. *nuper*, id non exprimatur, cùm eadem ratio, ob quam id declaravit Pontifex de voluntate legiſlatoris lege, ſeu jure excommunicantis, non reſervantis, currat etiam pro excommunicatione lata generaliter ab homine eam non reſervante: ex dictis conſtat ab excommunicatione majori lata generaliter ab homine (etiam à Papa, ut homine, id eſt, non medio jure, ſed media ſententia, aut medio præcepto tranſitorio) quando non reſervatur, poſſe abſolvere quemcumque, qui poteſt à peccato, ob quod imponitur abſolvere.

3. Nec valet dicere quòd talis cenſura eſt ſimpliciter ab homine, & non à jure, ut juxta juris regulam, ex *capite inferior, diſtinct.* 25. *cap. verbum, de pœnit. diſtinct.* 1. *capite prudentiam* §. 6. *de officio delegat. capite ad reprimendam, & capite paſtoralis*, §. *præterea, de officio ordinary*, cenſura ab eo tollenda eſt, à quo lata fuit, aut ab ejus Superiore, eo quòd non minor requiratur juriſdictio ad abſolvendum, quàm ad ligandum, & inferior non poſſit in cenſuram latam à Superiore. Sed huic fundamento fit ſatis ex ſupradictis, nam eo ipſo quòd hæc cenſura generalis æquiparatur cenſuræ latæ à jure, & Superior, à quo impoſita eſt, eam non reſervavit, videtur abſolutionem

nem commiſiſſe cuicumque facultatem habenti, ut de cenſura juris non reſervata dictum eſt, jura autem relata procedunt de cenſura ſpeciali, ergo: & tandem hanc ſententiam poſt hæc ſcripta invenio docere etiam Præpoſitum *in 3.p.q.1. de cenſ.in comm. dub.* 13.*n.* 90. ubi ſic ait: Dico ſecundò eos, qui poſſunt abſolvere à cenſuris latis à jure, poſſe etiam abſolvere à cenſuris latis ab homine per ſententiam generalem, quæ ſe habet per modum præcepti: ut ſi Epiſcopus præcipiat ſub pœna excommunicationis, ut omnes beneficiarij reſideant, veriſimile eſt non ſolùm Epiſcopum poſſe abſolvere, ſed etiam alium, qui poteſt abſolvere ab excommunicatione lata à jure, quia reſpectu talium cenſurarum non ita urgent textus, qui ſemper mentionem faciunt caſus particularis, neque ex ullo urgenti principio contrarium videtur poſſe oſtendi; & de cætero ſatis commodè idem de his poteſt eſſe judicium, quod eſt de cenſuris latis à jure.

## RESOL. CXCIV.

*Quiſnam poſſit abſolvere à cenſura juris nemini reſervata?*

*Idem eſt de cenſura permanente, & impoſita per modum ſtatuti?*

*Et an abſolutio excommunicationis majoris impendi poſſit extra Confeſſionem Sacramentalem, tam ab Epiſcopo, quàm à Parocho, aut Confeſſario Ordinario?* Ex part. 5. tr. 9. Reſol. 5.

Quoad hoc lege doctrinam præced. Reſ. & ſignā ter in t. 3. tr. 2. Reſ. 24. §. ult.

§.1. HAnc poteſtatem non habere Parochum, aut alium Sacerdotem, docet Paludanus *in 4.diſtin.*8. *q.*5. *art.*1. Durand. *q.*4. Covarr. 1. *p.*§. 12. *numero* 5. quia Parochus non habet ex ſuo officio juriſdictionem in foro exteriori, quæ neceſſaria eſt ad abſolutionem ab excommunicatione majori. Vide etiam Fabrum *de cenſ. in* 4.*ſent. diſt.* 25. *q.*1. *diſput.*4. *cap.*8. *num.*250. ubi firmat hanc opinionem variis rationibus.

2. Sed ego reſpondeo ad dubium quæſitum, quòd à ſupradicta excommunicatione abſolvere poteſt Epiſcopus jure ordinario, ut habetur *in cap. nuper*; §. *in 2. caſu, de ſententia excommunicationis*, & docent omnes cum D. Thomas *in addition. quæſt.* 24. *&* 21. Et ratio eſt, quam tradit Innocen. III. *in dicto cap. nuper*, quòd ſcil. eo ipſo, quòd à jure non reſervetur, videtur committi juriſdictionem habentibus, quam rationem latè expendit Suarez *ſectione* 4. & quamvis in dicto cap. *nuper*, ſolùm fiat mentio de minori excommunicatione; ratio tamen aſſignata etiam currit in majori, & idem eſt de Capitulo Sede vacante, & de Abbatibus ac aliis Prælatis Religioſorum, qui habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, hoc eſt, fori contentioſi, ut docet Suarez *ſect.* 3. & Sayrus *cap.*19.*num.*11. *& ſequentibus*, contra Covarruviam, & alios, quamvis Parochus hanc poteſtatem non habeat jure ordinario, & ex vi ſui muneris, ſicut habet eam Epiſcopus, ſed ex commiſſione à Summo Pontifice factam in prædicto cap. *nuper*. Atque ita licèt Parochus ligare per cenſuram minimè poſſit, poterit nihilominus ex commiſſione abſolvere: & idem exiſtimo dicendum de quolibet Sacerdote habente poteſtatem abſolvendi à mortalibus, quia iſte dici poteſt proprius Sacerdos, cui in dicto cap. commiſſio datur. Et ita docet Cornejo *in* 3. *part. tr.* 5. *de excomm.diſp.*11.*dub.*1. Præpoſitus *in* 3.*part. quæſt.*1. *de cenſ. in comm. dub.* 14.*n.*91. Turrianus *de cenſ. lib.* 2. *diſput.*19. *dub.*6. Villalobos *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 17. *diffic.*28.*num.*8. Moſcoſo *in ſum. tr.* 16. *cap.* 7. *num.*4. Tannerus *tom.* 4. *diſput.* 6. *quæſt.*10. *dub.*6. *num.* 115. Filliucius *tom.*1.*tract.*11.*c.*9 *n.*283. quibus adde Vaſquez, Navarrum, Avilam, & Coninch, quos citat & ſequitur Hurtado Complut. *de excomm.diſp.*15.*diffic.* 2.*n.*6. ubi *n.* 7. obſervat etiam quod abſolutio à dicta excommunicatione majori non ſolùm ab Epiſcopo poteſt fieri extra confeſſionem, ſed etiam à proprio Parocho, & à Confeſſario ordinario, etiamſi prædictis remittatur ad abſolutionem à peccatis ſeu in ordine ad eam, quia poteſt quis uti poteſtate ſibi conceſſa quoad aliquid, & nolle uti ea in totum, ut etiam dicemus *diffic.*5. de abſolutione ab excomm. facta virtute Bull. Cruciat. aut alterius ſimilis privilegij. Ita Hurtado.

3. Notandum eſt hîc cum Villalobos *ubi ſuprà n.* 11. [Que lo que ſe ha dicho de la cenſura, que eſtà pueſta por el derecho y no reſervada, tambien ſe ha de dezir de la cenſura permanente, pueſta por via de eſtatuto de alguna Provincia à Obiſpo no eſtando reſervada, aunque eſtè confirmada por el ſumo Pontifice, porque ſon de la miſma manera que las otras; y corre en ellas la miſma razon.] Sic ille.

## RESOL. CXCV.

*An Epiſcopus poſſit abſolvere à cenſuris reſervatis Papæ, exiſtente impedimento illum adeundi; ita tamen ut ceſſante impedimento, teneatur adire ſaltem per Procuratorem, ſub pœna reincidentiæ; quam obligationem tenetur illi injungere, ſi non ſit impedimentum pueritiæ, quo adhuc ceſſante adire non tenetur?*

*Et an qui impediti ſunt, ſi adire queant Nuncium aut Legatum Pontificis, poßint abſolui ab Epiſcopo?*

*Et docetur, quod ſi impeditus nequeat Epiſcopum adire, poſſit cum ſupra dicto onere à Parocho abſolui, eoque deficiente ab alio Confeſſario.*

*Et in textu hujus reſolutionis apponuntur impedimenta, quæ excuſare poſſunt excommunicatum à recurſu ad Papam.*

*Et an ſi impedimentum ſit brevis temporis, tunc non poßit ab excommunicatione Papæ reſervata Epiſcopus abſolvere?*

*Et quid, ſi ignoratur, quamdiu duraturum eſt impedimentum?* Ex parte 11. tractatu 8. & Miſc. 8. Reſol. 1.

§.1. AD hoc dubium ſic reſpondet Andr. Mendo *in Bull.Cruc.diſp.*23. *c.*3.*n.*30. Poteſt quis, exiſtente impedimento, quod nequit adire Pontificem pro abſolutione à reſervatis, abſolui ab Epiſcopo, ita tamen, ut ceſſante impedimento, teneatur adire, aliàs reincidet in eaſdem cenſuras, niſi ſit impedimentum pueritiæ, qua adhuc ceſſante adire non tenetur, infertur *ex capite mulieres, & aliis de ſentent. excommun. in* 6. Hi autem, qui impediti ſunt, ſi adire queant Nuncium, aut Legatum Pontificis, non poſſunt ab Epiſcopo abſolui. Ita Bonacina *de cenſur. diſput.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 2. *numero* 4. probabile tamen eſt, poſſe, ut defendit P. Avila *de cenſur.*2. *part. cap.*7.*dub.*6. quod ſi impeditus nequeat Epiſcopum adire, poſſe cum prædicto onere abſolvi à Parocho, aut ab alio confeſſore, probabiliter tuetur P. Granado *in* 3. *parte tractatu* 10. *diſputat.* 7. *numero* 12. ſed verius eſt oppoſitum, quia Pontifex ſolùm ad Epiſcopos indulget in caſu prædicto recurſum, ut docet Cardinalis Lugo *diſputat.* 20. *de pœnit. numero* 225. ita Mendo, cui quidem aſſentior.

2. Sed aliqui putant in tali caſu adeundum eſſe Nuncium, ſi adiri poteſt. Ratio eſt, quia tunc jam adeſt ad hoc Papæ locum tenens, & ita

habetur

habetur in dicto *cap. quamvis, de ſententia excommun.* ubi præcipitur adire Legatum ſi poſſit. Quia verò ibi non fit mentio de aliis confeſſariis, qui forte habeant ex privilegio facultatem ad abſolvendum ab iis, putat Coninch quòd etiamſi adſit talis, poſſit Epiſcopus abſolvere. Melius tamen Lugo docet nullum eſſe diſcrimen quoad hoc inter Legatum, & habentem facultatem abſolvendi, cùm ille quoque ſit delegatus à Papa in ea re, & ad illum poteſt eſſe recurſus, cui ex voluntate Papæ commiſſa eſt illa cauſa.

3. Verùm non deſunt alij docentes poſſe etiam Epiſcopum abſolvere à cenſuris eum, qui licet non poſſit Summum Pontificem adire, poſſet tamen recurrere ad Nuncium Summi Pontificis, vel ad alium habentem privilegium abſolvendi; quia exiſtente impedimento recurrendi ad Papam, reſtituitur Epiſcopo ordinaria poteſtas, quam per reſervationem amiſerat: ergo non eſt cur non poſſit abſolvere, nec cur pœnitens excommunicatus, ad Legatum Apoſtolicum recurrere teneatur. Adde, reſervationem eſſe odioſam, & ſtrictè interpretandam. Vnde explicari debet de recurſu ad ſolùm Papam; ita Hurtadus, *de excommunic. diſp. 15. difficult. 3. n. 10.* contra Bonacinam, Peregrinum, & alios; Qui tamen Hurtadus obſervat excommunicatum ſic abſolutum ab Epiſcopo, teneri poſt impedimentum ſe præſentare Pontifici, ſaltem per procuratorem ſub pœna reincidentiæ, quam obligationem tenetur illi injungere Epiſcopus, ſi non ſit impuber.

4. In caſu autem quo nec Pontifex, nec Legatus, nec Epiſcopus, nec alius facultatem habens, adiri poſſet pro impetranda abſolutione à cenſuris Papæ reſervatis, ſtante, inquam, tali impedimento, docet Tanner. *tom. 4. diſput. 6. quæſt. 10. dub. 6. num.* 122. poſſe talem excommunicatum abſolvi à Parocho eoque deficiente, à quolibet confeſſario approbato. Vide me ipſum *in part. 5. tract. 9. reſol. 6. §. non deſinam.* Et ad confirmationem ſupradictorum videndus eſt omnino Magiſter Ludovicus Bertrandus Loth Dominicanus *in reſol. Theolog. tract. 1. quæſt. 3. art.* 1. qui in terminis fortioribus noſtram ſententiam confirmat.

5. Ex his omnibus infertur me rectè his diebus reſpondiſſe, poſſe Epiſcopum abſolvere duellatorem juſtè impeditum ſi non poſſet adire Sedem Apoſtolicam, ita docet Navarr. *in Manuali c. 27. n 90. verſ. Ad quintum & c.* Vgol. *de cenſ. in genere, tab. 1. c. 4. §. 5. n. 13. in fine.* Peregr. *q. 37. de duello num.* 9. Regin. *lib. 5. n.* 256. Sayr. Suar. Sanch. Avila, Henriq. relati à Bonac. *tom. 1. de excomm. diſp. 2. q. 4. punct. 5. n.* 11. Hurtadus *de excommun. diſp. 15. diffic. 3. num.* 10. dicendum eſt itaque poſſe Epiſcopum vel per ſe, vel per confeſſarium ab ipſo in caſu particulari delegatum abſolvere à caſibus Papæ reſervatis ſi juſto impedimento aliquis ad Sedem Apoſtolicam non poſſit pro abſolutione adire.

6. Sed ſi ſcire cupis quænam ſunt impedimenta, quæ excuſare poſſunt excommunicatum à recurſu ad Papam. Reſpondetur, multa eſſe, quæ à Doctoribus enumerantur.

7. Primò, periculum mortis in itinere, *c. ſi quis ſuadente, & aliis, de ſent. excommun.*

8. Secundò, infirmitas longa etiam non perículoſa. *Ex cap. quod de his de ſent. excommun.*

9. Tertiò, paupertas; nam & ſi quis mendicare ſoleat, non tenetur Romam ire mendicando, & ita intelligendum *cap. ea noſcitur, eod. titulo.*

10. Quartò, Ætas, ſive ſenilis *ex dicto cap. ea noſcitur,* ſive impubeſcens, *cap. quamvis eod. tit.*

11. Quintò, ſexus fœminilis, *cap. mulieres eod. tit.*

12. Sextò, ſubjectio filijfamilias ad Patrem, & ſervi ad Dominum, quando ſine illorum gravi præjudicio Papam adire non poſſunt, *cap. relatum, eod. tit.*

13. Septimò, occupatio circa animarum, vel temporale dominium, quando ſubjectorum detrimentum timetur: *cap. Ne pro dilatione, de pœnit. & remiſſione.*

14. Octavò, debilitas in viris delicatis, qui labores itineris ſuſtinere non poſſunt; *cap. Quamvis,* ut etiam debilitas in membris in cæco, & claudo *cap. Ea noſcitur.*

15. Vltimò, quodlibet aliud, quod arbitrio prudentis cenſetur impedimentum grave, & legitimum. Vide Bonacinam *de excommun. diſp. 2. q. 4. punct. 5. n.* 9. Cornejo *in 3. par. tract. 5. diſp. 11. dub.* 2. Peregrinum *de duello q. 37. n. 7. & alios, ubi ſupra.*

16. In his igitur impedimentis poteſt Epiſcopus abſolutionis beneficium excommunicatis impertiri. Quod ſi pro certo haberetur, vel probabiliter exiſtimaretur, eſſe brevis temporis impedimentum, tunc non poſſet ab Epiſcopo abſolvi excommunicatus: nam pauci temporis ratio haberi non debet. Ita docent Vgolinus *de cenſur. Eccleſiaſt in genere tabul. 1. c. 4. §. 5. num.* 16. & Pereginus *loc. cit.* ſi verò ignoraretur quandiu duraturum eſſet impedimentum, vel diuturnum fore pro certo, aut probabiliter haberetur, tunc ſic impeditum abſolvere poſſet Epiſcopus ab excommunicatione. Ita præcitati Doctores.

---

## RESOL. CXCVI.

*Quiſnam poſſit abſolvere ab excommunicatione maiori lata à iure, & reſervata?*

*Et an etiam Epiſcopus poſſit abſolvere ab excommunicatione reſervata Papæ, quando delictum eſt occultum, vel quando excommunicatio eſt publica, ſed excommunicatus non poteſt recurrere ad Papam?*

*Et in corpore huius Reſolutionis explanantur impedimenta, cum quibus excommunicatus excuſatur recurrere ad Papam, pro abſolutione reſervata.*

*Et tandem quæritur, an excommunicatus impeditus ex ſupradictis cauſis, & impedimentis; ſi non poteſt adire Papam pro abſolutione teneatur adire Legatum, vel alium habentem privilegium Papæ, vel ab Epiſcopo abſolvi poſſit, & ſi Epiſcopum adire non poſſit, Parochus, & eo deficiente, quivis confeſſarius approbatus eum abſolvere poſſit?*

*Et an, qui abſolutus eſt ab Epiſcopo, teneatur poſtea, ceſſante impedimento, ſe præſentare Pontifici, per ſe, vel per procuratorem?* Ex part. 5. tract. 9. Reſol. 6.

§. 1. Reſpondeo eum tantùm, cui eſt reſervata, aut ejus ſuperiorem, aut eum, cui ipſi commiſerint, niſi excommunicatus ſit in articulo mortis. Nam tunc poteſt quilibet Sacerdos ſimplex illum abſolvere ſub onere comparendi coram eo, à quo extra eum articulum erat abſolvendus, ut generaliter dicitur *in cap. eos qui de ſent. excomm. in 6.* exigendo tamen priùs juramentum ab excommunicato, exceptis pueris, comparendi. (Sup. hoc inf. in Reſ. 201. &c. & pro juramento parendi in Reſ. 204. §. 1. ad med. verſ. quod onus, &c.)

2. Notandum eſt tamen hîc ex Concilio Tridentino poſſe Epiſcopos abſolvere ab excommunicatione reſervata Papæ, quando delictum eſt occultum; ſed difficultas eſt, an etiam poſſit Epiſcopus jure ordinario abſolvere ab excommunicatione, quando eſt publica, & excómunicatus non poteſt recurrere ad Papam? Et reſpondeo affirmativè, ut habetur *in cap. de cætero, de ſentent. excommun.* & docent Sylveſt. *ver. excommunicatio* 4. *n.* 7 Navarr. *c. 27. n. 9.* & alij, iſta autem impedimenta ſunt. (Sup. hac diffic. in Reſ. ſeq. & in Reſ præterita à principio, & inf. in §. ult. huius Reſ. poſt med. verſ.)

Qui tamen, & inferius in tr.2. Reſ.72. §. Sed tria, poſt med. verſ. Tertio, & in tom.1. tr.5. Reſ. 16. & in tom.3. tr.3. Reſ.28. & in tom. 9. tr.7. Reſ.117. lege à §. 2. & in Reſ. 118. §. Aſſero tertio, & §. Verum ego.

3. Primò periculum mortis in itinere, *cap. ſi quis ſuadente 17. quæſt.4. capite non dubium, cap. ea noſcitur, cap. de cætero, cap. quod de his, cap. quamvis, de ſent. excomm.*

4. Secundò infirmitas longa, etiamſi periculoſa non ſit, ex dicto cap. *quod de his, & cap. quamvis.*

5. Tertiò paupertas ex dictis Iuribus, nam nemo tenetur mendicare, ut ad Curiam vadat pro abſolutione, niſi aliàs mendicus eſſet, quia tunc ire tenetur, niſi fortè mendicando ſoleret ſe uxorem, atque filios alere: unde quando in d. cap. *ea noſcitur*, dicitur etiam pauperes teneri, non eſt ſermo de magna paupertate, quæ mendicare cogat in itinere; ad pauperes tamen reducitur obligatio alendi uxorem, filios ac familiam proprio labore.

6. Quartò ætas, ſive ſenilis, ex d. cap. *ea noſcitur, & cap. quamvis*; ſive puerilis, ſive impuber, *cap. 1. & cap. quamvis, de ſententia excomm.* quamvis petat poſt pubertatem abſolutionem ab excommunicatione reſervata, quam ante pubertatem incurrerat, ex *cap. final. de ſent. excommunicationis.*

7. Quintò ſexus fragilitas, ut fœmina cujuſcumque conditionis, *cap. mulieres, cap. quamvis, c. ea noſcitur, c. de Monialibus, de ſent. excomm.*

8. Sextò alteri adſtrictus, qui ſui juris non eſt, ut filiusfamilias, & ſimiliter ſervus quando Papam adire non poteſt ſine præjudicio parentis, vel domini, *cap. mulieres, cap. relatum, de ſent. excom.*

9. Septimò cura animarum, vel temporale dominium, quando timetur quòd per abſentiam oves, aut vaſalli detrimentum patiantur, ex dicto cap. *mulieres, cap. de cætero*, & ex *cap. ne pro dilatione, de pœnit. & remiſſ.*

10. Octavò debilitas in viris delicatis, qui labores itineris ſuſtinere minimè poſſunt, in dicto cap. *mulieres, & cap. quamvis*, ſive etiam debilitas in membris, ut cæcus & claudus, ex *cap. ea noſcitur, & cap. quamvis, de ſent. excom.*

11. Vltimò quodlibet aliud impedimentum, quod arbitrio prudentis viri judicetur legitimum. Et hæc omnia docet Cornejo *in 3. p. tract. 5. de excom. diſp. 11. dub. 2.* ex Sayro, Suarez & Avila, quibus adde Hurtad. *diſp. 15. de excom diff. 3. n. 10.*

Sup. contéto in hoc §. in tom. 1. tr. 5. Reſ. 17. 18. & 19 & hic ſup. in Reſ. præterita §. In caſu, &c.

12. Nec deſinam hîc apponere verba Adami Tanneri *tom. 4. diſp. 6. q. 10. dub. 6. n. 122.* ubi ſic ait: Similiter ſi excommunicatus excommunicatione Papæ reſervata propter legitimum impedimentum Papam, aut alium ab eo facultatem habentem adire non poſſit, poteſt abſolvere Epiſcopus, quòd ſi nec Epiſcopum poſſit adire, Parochus; eóque deficiente, quivis approbatus Confeſſarius. Ita ille.

Sup. hoc in Reſ. ſeq. §. Sed magis, & in aliis ejus not.

13. Notandum eſt tamen hîc contra Navarrum *c. 27 n. 89.* quòd ſi excommunicatus impeditus eſt, ex ſupradictis cauſis, adire Papam, nec tenetur adire Legatum, vel alium habentem privilegium Papæ ad abſolvendum, ſed ſatis eſſe non poſſe adire Papam, ut ab Epiſcopo abſolvi poſſit; & ratio eſt quòd exiſténte, impedimento recurrendi ad Papam reſtituitur Epiſcopo ordinaria poteſtas, quæ per reſervationem fuerat ab eo ablata, ergo non eſt cur ſit neceſſarius recurſus ad Legatum, præſertim quòd cùm talis reſervatio fuerit odioſa, debet ſtrictè interpretari, ut ſcilicet intelligatur de recurſu ad ſolum Pontificem, & ita docet Hurtado & Cornejo *locis citatis*, qui tamen rectè obſervant, excommunicatum ita abſolutum ab Epiſcopo, teneri poſtea ceſſante impedimento ſe præſentare Pontifici, & hæc obligatio debet ei imponi ab Epiſcopo, niſi fuerit impuber, cui hoc injungendum non eſt: quòd ſi in mora fuerit, reincidet ipſo jure in eandem excommunicationem: ſed nota quòd talis non tenetur ſe præſentare Papæ per ſe, ſed ſatis eſt id facere per Procuratorem; nec impeditus ne perſonaliter Romam adeat, tenetur mittere Procuratorem pro abſolutione, nec epiſtolam. Ita ex Henriquez notat Avila *par. 2. c. 7. diſp. 1. dub. 6. concl. 3.* & Doctores citati.

Sup. hoc ſup in §. 1. Reſ. 195. ad li 7 & in aliis ejus not. pro hac quæſt.

---

## RESOL. CXCVII.

*An excommunicatus, ſi non poteſt propter impedimentum Papam adire, teneatur impetrare abſolutionem excommunicationis per epiſtolam, aut Procuratorem, vel poſſit abſolvi ab Epiſcopo? Sed magis difficultas eſt, in tali caſu, an excommunicatus poſſit abſolvi ab Epiſcopo ſi poteſt adire Nuntium Summi Pontificis, vel alium habentem privilegium Papæ?* Ex p. 4. tract. 4. & Miſc. Reſol. 58.

§. 2. HIc caſus in praxi ſolet frequenter accidere, & in illo Bonacina *de cenſ. diſp. 1. q. 3. punct. 2. n. 4.* exiſtimat teneri excommunicatum mittere epiſtolam pro abſolutione obtinenda, ut patet à ſimili de impedimentis matrimonij; non enim credibile eſt, Papam velle ab Epiſcopo abſolutionem impendi, quando patet recurſus ad Sedem Apoſtolicam per Procuratorem, vel per epiſtolam. Ita ille.

2. Verùm ego contrariam ſententiam tenendam eſſe puto, quam docent Henriquez *lib. 12. c. 3. n. 1. & lib. 6. c. 9. n. 7.* Duardus *in Bulla Cœnæ lib. 3. §. 2. q. 8. n. 21.* quibus ego addo Avilam *de cenſuris part. 2. c. 7. diſp. 1. dub. 6. concluſ. 3.* & noviſſimè Gaſparum Hurtado *de excommunicatione diſput. 15. diffic. 3. num. 10.* ubi ſic ait: Epiſcopis quoque conceditur facultas abſolvendi à quacumque excommunicatione Pontifici reſervata, quando excommunicatus eſt legitimè impeditus adire Summum Pontificem ſive ætate ſenili, ſive impubertate, ſive infirmitate, ſive inimicitia capitali periculoſa, ſive fragilitate ſexus, ſive cura familiæ, ſive quia eſt ſub cura parentum, ſive paupertate in eo, qui non ſolet mendicare, ſive quocumque alio impedimento, ad arbitrium viri prudentis ſufficiente, quamvis poſſit ad Summum Pontificem mittere, & non mittat. Ita Hurtado; & ratio eſt, quoniam à jure ad id non obligatur.

3. Sed magis difficultas eſt in tali caſu, an excommunicatus poſſit abſolvi ab Epiſcopo, ſi poteſt adire Nuncium Summi Pontificis? Martinus Bonacina *ubi ſuprà*, negativam ſententiam docet, & ideo ait in tali caſu excommunicatum, qui Summum Pontificem adire non poteſt, non poſſe ab Epiſcopo abſolvi, ſi poſſit adire legatum Summi Pontificis, vel alium habentem privilegium abſolvendi, quia in eo eventu non cenſetur adeſſe, juſta ac legitima cauſa, vel impedimentum, propter quod poſſit ab alio abſolvi, & ita hanc ſententiam præter Bonacinam tenet etiam Coninch *de Sacramentis diſput. 14. dub. 16. n. 242.* Navarrus *in manuali c. 27. n. 89.* Corduba *in ſum. q. 18.* & alij.

4. Sed tu contrariam ſententiam tene, quam tuetur Avila *de cenſuris part. 2. capite 7. diſp. 1. dub. 6. concluſ. 3.* & Hurtado *loco citato*, cum Henriquez *lib. 12. cap. 3. num. 1. in gloſſa lit. H.* quia in his caſibus abſolvit Epiſcopus tanquam proprius paſtor, & poteſtate ordinaria, illa enim poteſtas ordinaria, quæ ſublata erat ei per reſervationem, reſtituta eſt exiſtente juſto impedimento recurrendi ad Summum Pontificem.

---

## RESOL. CXCVIII.

*An Epiſcopus reſervando abſolutionem alicujus excommuni*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*municationis Summo Pontifici, poßit, hoc non obſtante, Metropolitanus in caſibus ſibi permißis eam elargiri? Et in textu hujus Reſolutionis adducuntur aliqui caſus in exemplum dictæ quæſtionis?* Ex part. 3. tract. 4. Reſ. 157. aliàs 158.

§. 1. NEgativè reſpondet Campanili *in diver. jur. Can. rub.* 11. *cap.* 15. *n.* 132. putat enim per hanc reſervationem cenſeri abdicatam poteſtatem abſolvendi etiam Metropolitano, ita quòd in caſibus in jure permiſſis non valeat abſolvere, ſtante tali reſervatione facta, per Ordinarium.

2. Sed contrariam ſententiam tenendam eſſe exiſtimo, quia licèt reſervatio facta per Ordinarium Papæ, tollat ipſo jure poteſtatẽ abſolvendi vigore renũciationis factæ, tamen hoc non poteſt præjudicare Metropolitano, licèt quis poſſit renunciare favori ſuo, non tamen in alterius præjudicium. Et ſic primò vaſallus non poteſt in præjudicium domini abſque ejus conſenſu alterius juriſdictioni conſentire. Secundò Clerici non poſſunt renunciare eorum privilegio. Tertiò, pater non poteſt renunciare donationi inofficioſæ. Quartò, juramentum non firmat contractum in præjudicium tertii. Et tandem etiam clauſula *motu proprio*, non operatur in tertii præjudicium, nec jus in re acquiſitum alteri adimit. Et ideo (ne in aliena vinea arare videar) hanc ſententiam, & omnia ſupradicta docet doctus Iuriſconſultus Io. Maria Novaria *in qq. forenſibus part.* 1. *quaſt.* 66. *per totam.*

## RESOL. CXCIX.

*An excommunicatus ab uno Epiſcopo poßit ab illo abſolvi etiam ſi mutaverit domicilium, vel abſolvendus ſit ab Epiſcopo cui tunc ſubditus eſt?* Ex p. 5. tract. 9. Reſol. 8.

§. 1. REſpondet Suar. *de cenſ. diſp.* 7. *ſect.* 2. *n.* 19. & *n.* 26. quòd ſi fiat excommunicatus per generalem ſententiam, poterit abſolvi ab alio Epiſcopo, juxta probabilem opinionem, de qua egerat paulo antea: ſi verò per particularem ſententiam, non poterit abſolvi niſi ab eo, à quo excommunicatus eſt, quia cauſa eſt incepta, & ad illum pertinet cauſæ & litis conſummatio. Sed P. Vaſquez *dub.* 20. *n.* 5. videtur ſentire poſſe abſolvi ab altero, quando jam eſt ſub juriſdictione ipſius, & non aliter, & ita etiam docet Turrianus *de cenſuris lib.* 2. *diſp.* 15. *dub.* 5.

2. Non deſinam etiam hîc apponere verba Coninch *de Sacram. diſp.* 14. *dub.* 16. *num.* 258. ubi ſic ait: Ex dictis ſequitur Antuerpienſem, v. g. qui maxima anni parte habitans in diœceſi Mechlinienſi, ibi contraxit excommunicationem latam per jus, aut ſententiam generalem, redeuntem domum poſſe ab ea abſolvi per eum, qui habet poteſtatem ab ejuſmodi excommunicatione abſolvendi eodem modo, ac ſi eam contraxiſſet Antuerpiæ, quia cùm ejuſmodi excommunicationes non ſint particulatim reſervatæ ei, à quo latæ ſunt, nihil refert à quo latæ, vel ubi contractæ ſint, quia ideo aliis non ſunt minus vel magis reſervatæ. Imò etſi excommunicatio quam talis incurriſſet in Diœceſi Mechlinienſi, eſſet reſervata Epiſcopo, ſi non eſſet reſervata in Diœceſi Antuerpienſi, poſſet talis domum reverſus à ſuo Paſtore abſolvi, quia Mechlinienſis per hoc quòd aliquas cenſuras reſervet in ſua Diœceſi, non poteſt impedire Antuerpienſes ne ab iis abſolvant. Quòd ſi autem Antuerpienſis contraxiſſet in Diœceſi Mechlinienſi cenſuram latam per ſententiam particularem, deberet abſolvi à judice, qui eam tuliſſet; quia hæc excommunicatio huic eſt ſingulariter reſervata. Ita Coninch *loco cit.* cui etiam adde Layman *tractat.* 5. *part.* 1. *cap* 7. *n.* 4. & Præpoſitum *in* 3. *p. q.* 1. *de cenſ. in com. dub.* 14. *n.* 92. Non eſt igitur audiendus Philippus Faber *de cenſuris in* 4. *ſent. diſt.* 25 *quæſt.* 1. *diſput.* 4. *cap.* 8. *n.* 242. ubi docet, Epiſcopum, qui excommunicavit, ſolum poſſe abſolutionem impartiri.

## RESOL. CC.

*An qui dum verſabatur in alieno Epiſcopatu fuit excommunicatus, rediens in patriam poßit abſolvi à proprio Epiſcopo?*

*Idem dicendum eſt, ſi ita verſatus in alieno Epiſcopatu fuit in aliqua cauſa citatus coram illo Epiſcopo, in qua contingat illum excommunicari.* Ex part. 5. tractat. 9. Reſol. 9.

§. 1. REſpondeo quòd qui verſatur in Epiſcopatu alieno, ſubditus illi Epiſcopo, ideo non poteſt excommunicari ab illo per excommunicationem ab homine, nec generaliter, nec in particulari pro quantumcumque gravi delicto facto, vt patet per *cap. Romana, de ſent. excomm. in* 6. Ad hoc autem vt poſſit ab illo excommunicari, neceſſe eſt quòd fiat ſuus ſubditus vt puta ratione delicti in ſua juriſdictione commiſſi, vel aliquo titulo, hoc autem fieri non poteſt, niſi priùs Epiſcopus fecerit ſtatutum, quod qui fecit tale delictum, ſit excommunicatus. Nam tunc peregrinus faciens illud delictum in Epiſcopatu alieno, fit ſubditus illi ratione delicti commiſſi, & ſic incidit in excommunicationem; ſed tunc illa excommunicatio non eſt ab homine, ſed à jure, & ideo de illa eſt judicandum ſicut de excommunicato à jure: & tunc conſequenter eſt dicendum, quod non poteſt abſolvi à proprio, ſed ab Epiſcopo, in cujus Diœceſi deliquit, & à cujus excommunicatione ligatus fuit; quia à tali excommunicatione in jure decernitur, vt non niſi Epiſcopus ille abſolvere poſſit, in cujus Diœceſi deliquit, quia ratione criminis illius in illa cauſa ille delinquens factus eſt ſubditus illius Epiſcopi, & exemptus à juriſdictione proprii Epiſcopi. Alio etiam modo poterit fieri ſubditus illi Epiſcopo quoad cenſuram, vt ſi fecit delictum in illa Diœceſi, ad quod non erat impoſita pœna excommunicationis, ſed Epiſcopus ſciens illud delictum præcepit hujuſmodi delinquenti, vt ſatisfaciat parti pro tali delicto ſub pœna excommunicationis incurrenda tali tempore, nam ſi eo tempore non ſatisfaciat, fit excommunicatus, nec poteſt abſolvi à proprio Epiſcopo, quia ratione delicti factus eſt ſubditus illius Epiſcopi in cujus Epiſcopatu deliquit, ideo potuit ei præcipere, & excommunicatione ligare. Idem dicendum ſi ita verſatus in alieno Epiſcopatu deliquit, ideo potuit ei præcipere, & excommunicatione ligare. Idem dicendum ſi ita verſatus in alieno Epiſcopatu citatus fuit in aliqua cauſa coram illo Epiſcopo, in qua cauſa contingat ipſum excommunicari, non poteſt ab alio abſolvi; quia ex lite coram ipſo Epiſcopus ille accepit jus in illum, vt habetur *cap. propoſuiſti, de foro competenti*, & ita docet Philippus Faber *de cenſuris in* 4 *ſent. diſt.* 25. *q.* 1. *diſp.* 4. *cap.* 8. *num.* 243. & alij.

Sup. hoc ſupra in Reſ. 105. §. 1.

## RESOL. CCI.

*An abſolutus à cenſuris reſervatis in articulo mortis, ſi convaluerit teneatur accedere ad Superiorem?*

*Et obiter quæritur, an per Indulgentias non compenſetur, nec tollatur obligatio adimplendi ſatisfactionem ſacramentalem, ita vt pœnitens eximatur à debito eam exequendi?*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Et quid, ſi pœnitentia imponatur non ſolum in ſatisfactionem. Verum etiam in medicinam & remedium?* Ex part.9. tract.6. & Miſ.1. Reſ.35. alias 36.

Sup.hoc ſup. in Reſ 196. §.1.ad med. & inf.in Reſ. ſeq. §.1.& ſignanter, §.2. & in Reſol. 204 §.1 ante med verſ.Inſuper, & inferius in tr.8. Reſ 26. §.penult.& in to. 1.tr.4 Reſ. 44 §. vlt. paulò pòſt initium, à verſ. Solum adverte, & ibi in tr.5 Reſ.13. §.1. poſt mediũ, verſ. Notandum eſt,& in Reſ.39. §.penult & vlt & in to 9. tr.7. Reſ.127.

§.1. NEgativam ſententiam docet Petrus Marchant. *in Tribunal. Sacram. tom.1. tract.2. tit.4.quæſt.7.concl.3.* ſic aſſerens: [Improbabilem opinionem eſſe cenſeo eorum qui volunt, abſolutionem à cenſuris in iſto articulo non poſſe dari, niſi cum onere, ſi quis convaleſcat, accedendi ad Superiorem, vt abſolvatur. Hæc enim ſententia (etſi ſit plurium Doctorum) conſequenter non loquitur ad textum Concilii Tridentini, & Eccleſiæ traditionem ibi expreſſam; quod, ſcilicet, in Eccleſia Dei ſemper cuſtoditum fuerit vt nulla eſſet reſervatio in articulo mortis. Si enim onus illud comparendi pro cenſuris remaneret, virtus reſervationis illud operaretur; & tunc reſervatio cenſeretur remanſiſſe, virtute cujus effectus ille ſequeretur.

2. Solùm igitur debet, ſi convaleſcat illi onus imponi comparendi in cenſuris ad externum, ſive contentioſum forum deductis, cùm obedientia aliqua ob contumaciam in externo foro præſtanda eſt Superiori, aut etiam ſatisfactio partis læſæ, ſi læſa ſit: ſed hæc comparatio non pertinet ad reſervationem, quæ tunc fuiſſet; ſed ad obligationem innatam caſui ob quem cenſura incurſa fuit: ſicut ſi quis poſteà teneretur ad reſtitutionem famæ, vel rei ex caſu conſurgentem. Et ita intelligendum *cap. Eos qui, de ſentent. excomm. in 6.* in quo dicuntur, qui ſic abſolvuntur, debere præſentari Superiori excommunicanti, recepturi, & ſatisfacturi, prout juſtitia ſuadebit. Quod de ſatisfactionibus in foro externo tantùm intelligi debet. Et *ibidem* additur, debere ſe repræſentare, vt paſſis injuriam, ſeu iis, quibus propter hoc obligati exiſtunt, ſatisfactionem exhibeant competentem. Quæ omnia de obligationibus ex crimine natis, interpretanda ſunt, cum iis quæ Doctores de ſimilibus aſſeruerunt.] Ita Marchant.

3. Sed pace viri docti, aliquando nimis rigidè ſe gerit in cenſura opinionum, vt fecit in iſto caſu, vocando improbabilem opinionem illam, quam communiter docent Doctores, quos ad ſatietatem hìc poſſem adducere. Vnde doctus P.Voſſius *de juriſd. Epiſc. diſcept.1. dub 14 n.137.* adducit pro ſententia 19. Doctores, quibus noviſſimè adde Caſtrum Palaum *tom.4. tr.15. diſp. unica, punct.8. §.1. n.10.* & Leſſium *in 3. p. D.Thomæ, q.8. de Miniſt. Confeſſ. art.3. dub.9. n.14.* & patet *ex cap. De cætero, cap. Quod de his, cap. Quamvis de ſentent. excommunic. & cap. Eos qui, eod. tit. in 6.* Ex quibus apparet ratio hujus legis obligantis ad ſe præſentandum, ſcilicet, ne cenſuræ Eccleſiaſticæ illuderetur, & vt tolleretur occaſio fingendi falſa impedimenta ad impetrandam abſolutionem ab alio, quàm à Superiore, & Eccleſiæ intentio ſervaretur.

4. Sic etiam exceſſit dictus Author in cenſuranda alia opinione: nam *ubi ſuprà, tract.4 tit.7. q.5. concl.2.* ſic aſſerit: [Infero, improbabilem mihi omninò videri quorundam ſententiam, aſſerentium pœnitentem, qui adverteret, ſe aliis piis operibus, vel indulgentiarum acquiſitione ſatisfeciſſe pœnis peccatis debitis, non teneri ad implendam pœnitentiam à Sacerdote in Sacramento ſibi impoſitam: tenetur enim præcepto, & ſententiæ Iudicis parere, eo ipſo, quòd ejus judicio ſe ſubjecit, quamvis aliunde cenſeatur liberatus. A vinculo enim ſacramentali nemo ſolvere poteſt, niſi ſacramentalis Iudex. & peccata in Sacramento à Iudice retenta, coram Deo cenſentur retenta. Vnde, quemadmodum peccata coram Deo ſoluta, Clavibus nihilominùs ſubjici debent: ita ſatisfactio à Clavibus impoſita, non poteſt tolli, niſi mediantibus Clavibus.] Ita ille. Et tamen contraria ſententia eſt communis inter Doctores. Vide modò, ſi mereatur cenſura improbabilitatis inuri. Sed pro ſententia Marchant. Vide Patrem Averſam *de Sacr. Pœnit. q.13. ſect.9.* ubi ex pluribus rationibus probat, etiam per Indulgentias non cõpenſari, nec tolli obligationem adimplendi ſatisfactionem ſacramentalem, ita vt pœnitens eximatur à debito eam exequendi.

Sup.his aliis piis operibus in to.1. tr.6. Reſ.53.& pro Indulgentiis in Reſ.57. recitativè in ejus §1. & in tom.3. tr.1. Reſ.44 § vlt. & in to. 4. tr.5. Reſ.16.

5. Verum, pace viri docti, & amiciſſimi rectè obſervat Eminentiſſimus Dominus meus Cardinalis de Lugo *de Sacram. Pœnitent. diſp.27. ſect.2. num.22.* eſſe communem ſententiam, tum antiquorum, tum recentiorum, pœnitentem liberari per Indulgentiam ab obligatione pœnitentiæ: & laudat quamplures, & graves Authores. Probat autem hanc opinionem *ex cap. Cùm ex eo, de pœnitent. & remiſſ.* ubi *in fine illius capitis* Summus Pontifex inquit, per indiſcretas, & ſuperfluas Indulgentias, ſatisfactiones ſacramentales enervari. Igitur per Indulgentiam tollitur obligatio adimplendi pœnitentiam: aliàs ſi maneret obligatio etiam in ratione medicinæ, nihil prorſus enervaretur de ſatisfactione. Secundò probat ex eo, quòd Gloſſa *in Extravagant. Antiquorum, de pœniten. & remiſſ. longe poſt medium*, refert, Pontificem declaraſſe, anno Iubilæi, à pœnitentiariis non debere imponi alia onera pœnitentibus, præter ea quæ in Iubilæo illo erant præſcripta, ne Indulgentia fruſtraretur. Signum igitur eſt, Pontificem exiſtimaſſe, acquiſita Indulgentia, aliam pœnitentiam non eſſe imponendam. Tertiò probat à priori: quia pœnitentia à Confeſſario imponitur, vt pœnitens pro ſuis peccatis Deo ſatisfaciat, ſed, cùm per Indulgentiam tollatur debitum totius pœnæ, ceſſat fundamentum illius obligationis, & per conſequens deſinit obligatio ad pœnitentiam exequendam. Et ſi contra hanc doctrinam reſpondeatur, pœnitentiam imponi non ſolùm in ſatisfactionem, verùm etiam in medicinam, & remedium, vt pœnitens præcaveat peccatum, vt colligitur ex Tridentino *ſeſſ.14. cap.8.* proinde quamvis per Indulgentiam ceſſet pœnitentia, quatenus ſatisfactio; non ceſſat quatenus medicina. Si, inquam, aliquis ita urgeat, reſpondet de Lugo, verum eſſe, pœnitentiam frequenter imponi, vt medicinam: at Confeſſarius non poteſt obligare ad illam, niſi quatenus eſt ſatisfactio, & vindicta; ſicuti Iudex, licèt curare debeat, vt pœna, quam delinquenti imponit, ſit non ſolùm in vindictam, ſed etiam in medicinam; non tamen poſſet exequi illam, etiam in medicinam, ſi Princeps ſupremus eam remitteret delinquenti: ita Sacerdos, cùm ſit ſimul Iudex, & Medicus, debet injungere pœnitentiam pro peccatis, vt ſatisfactionem, & medicinam: at, ſi pœna condonetur, nequit obligare ad medicinam: quia Medicus non obligat ſed conſulit; intelligendo tamen de medicina, quæ non ſit ſimpliciter neceſſaria ad peccata in poſterum vitanda. Hæc, & multa alia fusè docet Cardinalis de Lugo, interpretando Concilium juxta datam doctrinam, & ſolvendo nonnullas contrarias inſtantias minoris momenti, apud quem legi poſſunt. Vnde ex his patet, vt diximus, exceſſiſſe Marchant. in cenſura hujus opinionis.

---

## RESOL. CCII.

*An abſolutus in periculo mortis ab excommunicatione, elapſo morbo teneatur, quam primum poterit ſe præſentare Superiori, alioquin incidat in eamdem excommunicationem, ſicut erat prius?*

*Et in dicto caſu an teneatur ſe præſentare vel ſufficiat, vt abſens appareat?*

*Et an qui in articulo mortis fuit abſolutus à cenſuris reſervatis Papæ, aut Epiſcopo vi alicujus Bullæ, Iubilæi,* vel

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*vel privilegij, vel à delegatis prædictorum, non teneatur ſe præſentare; imo etiam ſatisfaceret, (quod eſt valde notandum,) oneri comparendi, ſi coram Confeſſario facultatem habente ex privilegio abſolvendi extra mortis articulum ſe præſentaret?* Ex part. 5. tr. 14. & Miſc. 2. Reſ. 59.

§. 1. COmmuniter affirmativè reſpondent Doctores, ſi abſolutio fuit de cenſuris, ſecus autem de caſibus reſervatis, abſolutus enim tempore mortis ab iſtis, non tenetur ſe præſentare Superiori; ab illis autem, videlicet excommunicationibus tenetur. Ita noviſſimè Granado *de Sacr. in 3. p. controverſ. 7. tr. 10. diſp. 4. ſect. 2. n. 13.* Tannerus *t. 4. diſp. 6. q. 9. dub. 3. n. 72.* & Philippus Faber. *de pænit. in 4. ſent. diſt. 17. q. unic. diſp. 27. c. 2. n. 40.*

2. Nihilominus Claudius Millardus *in ſumma Parochorum, de pænit. c. 97. n. 10.* notat probabiliſſimum videri hoc onus ſe præſentandi coram Superiore, ſi quis abſolutus fuerit tempore mortis ab excommunicationibus reſervatis, non habere amplius locum, & ceſſaſſe poſt Concilium Tridentinum *ſeſſ. 14. c. 17.* quam doctrinam Cœleſtinus *in compend. Theol. moral. tr. 1. c. 7. n. 3.* putat poſſe tuta conſcientia approbari, quando excommunicatio non eſt notoria, vel deducta ad forum externum, aut omnino occulta, vel ſcitur tantùm a duobus, vel tribus. Ita ille. Sed tu cogita; nam in contrarium videtur *c. de cætero de ſentent. excommun. & cap. eos qui, de ſenten. excommun. in 6.*

3. Notandum eſt tamen hîc obiter etiam ſtando in prima opinione, quòd qui in articulo mortis fuit abſolutus à cenſuris reſervatis Papæ, aut Epiſcopis, vi alicujus Bullæ, Iubilæi, aut privilegij, vel à delegatis prædictorum, non tenetur ſe præſentare. Imò etiam ſatisfaceret (quod eſt valdè notandum) oneri comparendi, ſi coram Confeſſario facultatem habente ex privilegio abſolvendi extra mortis articulum ſe præſentaret. Et cùm pœnitens in caſu, ut dictum eſt, tenetur ſe præſentare ſufficit ſi abſens pareat. Nam ad parendum ſolùm, & non ut abſolvatur, jubetur præſentari. Ita ex Bonacina, Sà, & Navarro docet Cœleſtinus *loco citato.*

## RESOL. CCIII.

*An abſolutus à cenſuris tempore mortis, teneatur poſtea ſe perſonaliter præſentare ſuperiori, vel ſufficiat, ſi per Procuratorem ſe præſentet?*

*Et quid, ſi cenſura ſit ob percuſſionem clerici?*

*Et an qui modo reincidit in eamdem cenſuram, quia non ſe præſentavit ſuperiori, ſit adhuc vitandus, ex eo quod ante abſolutionem eſſet vitandus?* Ex part. 8. tr. 7. & Miſc. Reſol. 66.

§. 1. AFfirmativè reſpondet Navarrus *in ſumma, cap. 27. num. 90.* Vgolinus *de cenſuris, tab. 1. cap. 14. §. 5. num. 4.* Sayrus *de cenſuris, lib. 2. cap. 16. n. 15.* Mihi verò magis placet opinio negativa Dico igitur quod obligatus ad ſe præſentandum ſatisfaciat huic obligationi, ſi per Procuratorem ſe præſentet. Reſpondeo affirmativè. Et ratio eſt, quia verè dicitur comparere. Ita Sylveſt. *verb. Excommunicatio 8. §. 8. quæſt. 7.* Armilla *verb. Excommunicatio 59.* addens ſatisfacere ſi per litteras ſe præſentet. Henriquez *lib. 13. de excommunicat. cap. 29. num. 3. & lib. 6. de pænitentia, c. 9. in fine.*

2. Excipe tamen caſum excommunicationis, in quam pœnitens inciderit ob percuſſionem Clérici, in quo extat *cap. quod de his, de ſentent. exocmmunication.* expreſsè petens, ut ſic abſolutus eat perſonaliter Romam, & hoc in odium & pœnam percuſſorum.

Secluſa in fin. & ſeq. & inf. in tr. 2. alios particulares, & ſpeciales caſus deciſos invenies ſup. hoc, & hic in Reſ. ſeq. in §. 1. poſt med. verſ. Sed ego.

3. *Notandum* eſt tamen ſic abſolutum ſi ſaltem per Procuratorem ſuperiori non ſe præſentet, incidere in eandem cenſuram: ſed difficultas eſt an Petrus, v. g. qui modò reincidit in eandem cenſuram, quia non ſe præſentavit ſuperiori, ſit adhuc vitandus, ex eo quòd ante abſolutionem eſſet vitandus? Reſpondet affirmativè Bonacina *diſput. 1. de cenſ. quæſt. 3. punct. 3. num. 18.*

4. Ego verò reſpondeo negativè. Et ratio eſt, quia dato quòd conſtiterit illum fuiſſe in articulo mortis abſolutum à cenſura, porrò potuit cum aliis participare, & alij potuerunt participare cum ipſo; licèt ergo ob inobedientiam, & contumaciam, quam habet non ſe præſentando ſuperiori, incidat in excommunicationem; non tamen ob id ſit vitandus, quia ad hoc ut fiat vitandus, debet denuò denuntiari excommunicatus, nullus enim eſt vitandus, niſi vel ſit denunciatus, vel notorius percuſſor Clerici. Vnde ſi hinc penderet cenſuræ reſervatio, ex eo quòd deſineret eſſe vitandus, deſineret etiam cenſura eſſe reſervata.

## RESOL. CCIV.

*Quomodo ſimplex Sacerdos abſolvat moribundum ab excommunicatione majori?*

*Et doctrina hujus Reſolutionis eſt valde notanda, & in promptu tenenda ab omnibus Sacerdotibus, & Confeſſariis pro praxi ſupradictæ quæſtionis, & abſolutionis dandæ in articulo mortis.*

*Et tandem quæritur, an in articulo mortis ſimplex Sacerdos poſſit abſolvere etiam ab irregularitate, quæ contrahitur ex peccato?*

*Et notatur, quod poteſt ita urgere neceſſitas in articulo mortis, ut ſufficiat unico verbo dicere* Abſolvo te *intendendo abſolvere prius à cenſuris, & poſtea à peccatis?* Ex p. 5. tr. 3. Reſ. 67.

§. 1. QVando ſimplex Sacerdos in articulo mortis abſolvit pœnitentem ab excommunicatione majori, caveat ne abſolvat niſi præmiſſa ſatisfactione, ſi forſan ea fieri debeat, juxt. *Clem. 1. de hær.* quod ſi commodè fieri non poteſt, abſolvat cum debita cautione, ſecundùm gloſſ. *ejuſdem Clem. §. Verùm, verſ. ea tunc*, quæ cautio fiat vel fidejuſſore, vel cum pignore, ſi eam poteſt dare, ſin minus, det eam, quam poteſt dare ſaltem; videlicet juratoriam; ſi verò articulus neceſſitatis urget, nihilque horum fieri poteſt, abſolvat, cùm ad impoſſibile nemo teneatur *l. impoſſibilium ff. de reg. jur.* At ſi Confeſſarius omittat, vel obliviſcatur petere cautionem ſatisfaciendi, valebit abſolutio. Inſuper debet Confeſſarius in tali caſu imponere onus pœnitenti, ut ceſſante morbo ſe præſentet Superiori, qui extra eum caſum de jure poterat illum abſolvere, commonefaciendo, quòd ſi non ſe præſentaverit, in in eamdem cenſuram incurreret, quod onus ſecundùm Sanch. *t. 1. lib. 2. c. 13. n. 26.* ſub juramento imponendum erit, *c. quamvis, & c. ea noſcitur, de ſent. excomm.* Sed ego cum Trullenck *in Bulla Cruc. lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 5. n. 9.* contrarium teneo; nam diſpoſitio Canonum cùm ſit odioſa, eſt reſtringenda: ſed ſolùm ad percuſſionem Clerici. Et pro confirmatione ſupradictorum vide etiam Bellochium *in praxi Theol. moral. p. 1. q. 2. n. 136.* & Finellium *de caſib. reſervatis c. 8. n. 9.* quibus adde Zambranum *de Sacr. pænit. c. 4. n. 6.* ubi etiam notat ita poſſe urgere articulum mortis, ut prætermittenda ſit etiam cautio juratoria in excommunicato, antequam abſolvatur, & nihilominus ſic abſolutus tenetur, ſi convaluerit, ſe præſentare, ut notat Palatius *in 4. diſt. 27. diſput. 7.*

Sup. hoc ſup. in Reſ. 201. lege ejus doctrinam, &c.

Et ſup. onere contento in hoc textu, & juramento ſup. in Reſ. 196. §. 1. & inf. in tr. 2. Reſ. 72. §. ult. ad med. & in t. 3. tr. 3. Reſ. 28. §. ult. recitanter ad med.

2. No

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

2. Nota etiam cum dicto Zambrano *num.5*. quòd poſſet ita urgere neceſſitas articuli mortis vel abſolventem, vel pœnitentem, ut ſufficiat unico verbo dicere, Abſolvo te, intendendo abſolvere priùs à cenſuris, & poſtea à peccatis.

3. Nec deſinam hîc obiter adnotare, quod Henriquez *lib.3. de pænit. c.9. n.5.* docet in articulo mortis poſſe ſimplicem Sacerdotem abſolvere, etiam ab irregularitate, quæ contrahitur ex peccato, eo quòd aliqui hanc exiſtiment eſſe cenſuram, & privilegium Tridentini, cùm ſit favorabile, & non diſtinguat, eſt latè interpretandum, & ita hanc ſententiam eſſe probabilem putat Trullench *in Bulla Cruc. lib.1. §.7. c.2. dub.5. n.7.* licèt ipſe verius cenſeat oppoſitum.

---

## RESOL. CCV.

*A quibus cenſuris poſſit ſimplex Sacerdos abſolvere in articulo mortis?*

*Et quid, ſi adſit Sacerdos, qui alias poſſet, & haberet juriſdictionem in cenſuris?* Ex part.7. tr. 10. & Miſc. 1. Reſ. 11.

Sup. hoc in Reſ. ſeq. & in t.1. tr.5. Reſ. 2. & ſi prius vides ejus annotationē primam & poſtea conſequenter legis omnes aliàs Reſ. dictæ not. facilius hæc difficultas diſſoluetur.

§.1. SAnchez *in Summa tomo primo, libr. ſecundo, capite 13. numero duodecimo.* Zambranus, *de art. Mor. capit.4. dub.4. numero decimo-ſeptimo.* Layman *in Theologia morali, lib. quinto, tr.6. cap.12. numero 13.* & alij putant poſſe tantum abſolvere à Cenſuris, quæ impediunt ſuſceptionem Sacramentorum, quales ſunt Excommunicatio, Interdictum perſonale, Suſpenſio à receptione Sacramentorum, Eccleſiaſtica ſepultura; unde aſſerunt à ſuſpenſione ab Ordine, Officio, vel Beneficio non poſſe abſolvere, quia Concilium præbet auctoritatem cuicumque Sacerdoti abſolvendi à Cenſuris tempore mortis, ne hac occaſione aliquis pereat. Ergo videtur ſignificare facultatem tantùm pro his Cenſuris conferre, quæ impediunt Sacramentorum, receptionem.

2. Verum Vgolinus *de cenſ. tab.1. cap.4. §. Primo, numero ſecundo,* docet ſimplicem Sacerdotem poſſe in mortis articulo, ſeu periculò ab omnibus cenſuris abſolvere, tam iis, quæ impediunt receptionem Sacramentorum, quàm iis, quæ illam non impediunt. Et ratio eſt, quia Concilium dicit, à quibuſvis Cenſuris, quæ particula cùm ſit generalis, & univerſalis, nec ullam excipiat, inde eſſe ut omnes comprehendat; ubi enim lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. Et hanc ſententiam ego puto probabilem, quam noviſſimè tuetur etiam Ludovicus Caſpenſis *in Curſu Theologico. to. ſecundo, tr.25. diſp.2. ſect.13. n.139.* ubi ſic ait. In periculo ſeu articulo mortis, omnes ſacerdotes etiam ſimplices, poſſunt abſolvere à quacumque excommunicatione reſervata, ſicut & à peccatis reſervatis, ex Trid. *ſeſſ.14. c.7.* Quia in hoc caſu omnes Sacerdotes habent æqualem Iuriſdictionem, ſaltem ex voluntate Pontificis, & Concilium indiſtinctè loquitur. Hoc autem etiam eſt verum ſecundum probabilem multorum ſententiam, quamvis adſit Sacerdos qui aliàs poſſet, & haberet Iuriſdictionem; quia cùm Concilium non diſtinguat, non eſt cur nos diſtinguamus: & reſpectu cujuſcumque Sacerdotis militat ratio Concilij. Ne ſcilicet hac occaſione aliquis exiſtens in tali articulo pereat: quòd enim ſit præſens is qui aliàs habet juriſdictionem, hoc eſt per accidens, & ita tenent Navarrus, Sà, Rodriq. Vega, Henriq. quos affert Sancius *lib. ſecundo, Decal. cap. duodecimo.* Et quamvis ipſe oppoſitum teneat, dicens *n. duodecimo,* tantùm poſſe in eo articulo abſolvi à cenſuris reſervatis impedientibus Sacramentorum receptionem, vel Eccclesiaſticam ſepulturam, verbi gratia ab excommunicatione, & interdicto perſonali, non verò à ſuſpenſione, ab Ordine, vel Beneficio, vel Officio, vel ab irregularitate. Hoc tamen non placet, quia cùm Concilium non diſtinguat, ſed abſolutè concedat ab omnibus reſervatis, non eſt cur diſtinguamus. Ita Caſpenſis.

Sup. hoc in Reſ. 1. not, præteritæ, & in aliis ejus ſecundæ annot. quæ eſt appoſita ad lin. 7. dictæ Reſ.

---

## RESOL. CCVI.

*An in articulo mortis poſſit Confeſſarius abſolvere ab omni excommunicatione?*

*Sed difficultas eſt, an in articulo mortis poſſit ſimplex Sacerdos abſolvere ab excommunicatione, præſente Parocho, aut approbato?*

*Et an in prædicto caſu ſimplex Sacerdos poſſit abſolvere moribundum, etiam ſi poſſet per confeſſarium, vel per literas recurrere ad Superiorem?*

*Et notatur nullum in præſentì ponendum eſſe diſcrimen inter articulum, & periculum mortis, quantum attinet ad hanc abſolutionem, ſed tantum excluditur periculum in ludo haſtarum, taurorum agitatione, & ſimilibus.* Ex part. 5. tractat. 9. Reſol. 67.

§.1. REſpondeo affirmativè ex *cap. fin. de cenſ. & c. eos, de excomm. in 6.* & ex Concil. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 7.* Sed difficultas eſt, an in tali articulo poſſit ſimplex Sacerdos abſolvere ab excommunicatione præſente Parocho, aut approbato? Prima opinio negat. Secunda affirmat, & Doctores pro utraque ego ipſe adduxi *in 1. p. tr.5. reſol.5.* Noviſſimè verò doctiſſ. Hurtado de Mendoza tertiam docet, & novam ſententiam, aſſerit enim *in tr. de fide, vol. 1. diſp. 84. ſect. 6. §. 166.* omnes Sacerdotes diœceſanos approbatos etiam præſente prælato poſſe facultate non petita abſolvere moribundum à quovis crimine, & cenſura in foro conſcientiæ: negat autem hoc fieri poſſe à ſimplici Sacerdote, præſente approbato diœceſano. Omnes iſtæ tres ſententiæ ſunt probabiles, quicquid contra ſecundam teneat Turrianus *de cenſuris lib. 2. diſp.10. dub.2.*

2. Adverte etiam in tali caſu poſſe ſimplicem Sacerdotem abſolvere moribundum, etiamſi poſſet per Confeſſarium, vel per litteras recurrere ad Superiorem, non enim ad hoc tenetur Confeſſarius, neque imponendum eſt hoc onus ſcribendi pœnitenti, quicquid in contrarium aſſerat Bonacina *de cenſ. diſp. 1. q. 3. punct. 3. n.5.* & Zambranus *de caſibus in articulo mortis c.4. dub.4. n.15.*

3. Notandum eſt etiam hîc contra Sotum *in 4. diſt.18. q.4. art.4.* Canum & alios, nullum in præſentia ponendum eſſe diſcrimen inter articulum, & periculum mortis, quantùm attinet ad hanc, quam tractamus, abſolutionem, dummodò tale ſit periculū, quod neceſſario adeundum ſit, & ex quo veriſimili conjectura ſequatur mors. Addo *neceſſario adeundum*, ut excludam periculum in ludo haſtarum, taurorum agitatione, & ſimilibus. Sic hæc explicata poſterior ſententia communis eſt, ut teſtatur Covarr. *c. Alma mater. p.1. §.11. n.8. verſ.3.* Conſentiunt Ledeſma *tr.4. q.2.* 26. *art.1. dub. 3.* Navarr. *c. 26. n.26.* & denique Sylveſt *Confeſſ. 1. n. 6.* cum Paludano, Adriano, & aliis. Ratione probatur, quia ſi deberet expectari tanta illa neceſſitas, & mortis certitudo, quantam voluit Sotus, contingere poſſet, ut multi diem clauderent ſine abſolutione, quod omnino eſt contra Eccleſiæ mentem, & ad quod evitandum damnum, ipſa facit plenam hanc ſuis abſolvendi poteſtatem. Firmari idem poteſt ex juris locis illis ubi de hac agitur abſolutione, in quibus ſine diſcrimine periculū mortis pro articulo non raró ſumitur, quantumvis alioqui re & nomine diſtinguantur. Ita *c. ſi quis ſuadente 17. quæſt.4. & cap.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*eos qui, de ſent. excomm. in 6.* quod vero dicit Sotus reſtringenda eſſe privilegia, verum id quidem eſt in materia odioſa, & quæ redundat in aliorum præjudicium; at verò favor in hac abſolutione nihil tale habet, ac proinde, juxta regulam juris in 6. extendi potiùs, & ampliari deberet.

## RESOL. CCVII.

*An conſtitutus in articulo mortis abſque alio prævio ſigno contritionis poſſit abſolvi à cenſuris?*

*Et an vt ſimplex Sacerdos poſſit abſolvere à ſola cenſura in articulo mortis, neceſtarium ſit, quod pœnitens præmiſerit aliquod ſignum contritionis?* Ex p.7. tract.10. & Miſc.1. Reſ.10.

§.1. VT ſi verbi gratia amiſit loquelam, vel incidit in inſaniam. Navarrus *in Man. cap.27. num.272.* & Vgolinus *de Cenſuris Pontif. refer. part.3. cap.3. §.2. num. 2.* licèt concedant quod in articulo mortis poſſit impendi abſolutio à cenſura, etiamſi abſolutio à peccatis non poſſit impendi; quia illa prodeſt ad recipienda alia Sacramenta, vt extremam Vnctionem, & ad hoc vt forſitan infirmus in loco ſacro poſſit ſepeliri. Tamen limitant hanc ſententiam, & aſſerunt ad hoc vt ſimplex Sacerdos poſſit abſolvere à ſola cenſura neceſſarium eſſe quod pœnitens præmiſerit aliquod ſignum contritionis.

2. Sed ego hanc limitationem prorſus refello, nam licèt hoc ſit neceſſarium pro abſolutione à Cenſuris, quæ fit extra Sacramentum, & etiam confertur abſenti. Et etiam docet Boſſius *in Diſceptat. Mor. diſp.2. num.8.* cui adde noviſſimè Caſpenſem *in Curſu Theologico, tomo 2. tract.15. diſp.2. ſect.13. num.140.* qui citat Suarez *de Cenſ. diſp.7. ſect.7.*

## RESOL. CCVIII.

*An notoriè excommunicatus in articulo mortis poſſit ſaltem abſolvi à cenſuris, ſi ſubmuteſcens nullum ſignum contritionis oſtendit?*

*Et quid, ſi conſtaret evidenter ægrum privatum uſu rationis omnino impœnitentem, in talem ſtatum incidiſſe?*

*Et an in ſuprà dicto caſu poſſit etiam laicus talem abſolutionem moribundo concedere?*

*Et aliqua alia advertuntur, quæ contingere poſſunt in ſupradictis caſibus.* Ex part.9. tract.7. & Miſc.2. Reſol.13.

§.1. DE abſolutione à peccatis *alibi* diximus: nunc videndum eſt de abſolutione à cenſura. Navar. *in Manuali, cap.27. n.272.* & Vgol. *de cenſuris Papæ reſerv. part.3. cap.2. §.2. n.2.* dicunt in tali caſu prærequiri in infirmo, quòd priùs dederit aliquod contritionis ſignum; nihilominùs tenendum eſt, præfatam abſolutionem à ſola cenſura in illo articulo extremæ neceſſitatis poſſe dari infirmo, tametſi priùs ſigna contritionis non exhibuerit: ídque abſque eo, quòd Sacerdos abſolvens peccet mortaliter, ſed neque venialiter; imò potiùs mortaliter peccaret, non conferendo talem abſolutionem, qua negata non poſſet moribundus juvari aliis Sacramentis, neque in loco ſacro ſepeliri.

2. Hoc tamen limita, niſi conſtaret evidenter, ægrum privatum uſu rationis, omninò impœnitentem in talem ſtatum incidiſſe. Et ita docet Boſſius *diſcept.2. dub.4. num.38.*

3. Sed aliqui plus addunt, nempe, poſſe in tali caſu, etiam laïcum; talem abſolutionem moribundo concedere. Hanc ſententiam, tanquàm probabilem, ego *alibi* docui, quam ſcio diſplicuiſſe cuidam nobili juriſcóſulto, qui tamen ſcire debebat, illam deſumptam fuiſſe ex Gloſſa *in cap. A notis 2. verb. non potuit*, ubi etiam Abbas *de ſent. excomm. & in cap. Paſtorali, §. Præterea, de offic. Ord. verb. Præterquàm in mortis artic.* Idem poſteà docuerunt plures Theologi ex Schola D. Thomæ Tabiena, Armill. D. Antonin. uterque Ledeſma, & ex Soc. Ieſu Sanch. Avila, Henriq. & alij à me *alibi* adducti quibus nunc adde P. Boſſium *ubi ſup. dub.10. num.87.* Et ratio eſt: quia, cum Eccleſia, ſeu Summus Pontifex poſſit hanc facultatem concedere laïco, vt Doctores communiter tenent: exiſtimandum eſt, conceſſiſſe in tali articulo, ſi non adſit copia Sacerdotis, vel Clerici tonſurati. Nam, quamvis laïcus, ſicut & Clericus non Sacerdos, non poſſit, ſacramentaliter abſolvere, neque ex commiſſione Papæ; tamen abſolutio ab excommunicatione poteſt plurimùm conferre ipſi pœnitenti ad ſalutem animæ, quam omnibus Eccleſia in extrema neceſſitate, ſuis fidelibus procurat. Quare, ſicut tunc ob hanc cauſam concedit omnibus juriſdictionem abſolvendi à peccatis, qui ſunt capaces illius; ſimiliter cenſendum eſt tribuere omnibus, qui ſunt capaces, juriſdictionem abſolvendi à cenſuris: laïci autem, vt dictum eſt, ſunt capaces hujus juriſdictionis: & hæc ratio multò magis convincit de Clericis etiam tantùm tonſuratis. Alibi inf. in Reſ.210. 211. 212 213. & 214. §. Sed. & in tom.3. tr 1. Reſ 43. §. penult.

4. Prædictæ autem abſolutionis à Clerico non Sacerdote, vel à laïco in articulo mortis datæ, effectus, ſecundùm præcitatos DD. maximus eſt, ſcilicet, quòd hæredes abſoluti non teneantur adire Papam, nec excommunicatorem pro abſolutione petenda. Poterunt etiam ſepelire defunctum in loco ſacro, & pro eo facere Miſſas celebrare. Addit Henriquez ſaltem prodeſſe eam abſolutionem, vt poſt mortem poſſit talis abſolutus à quovis Sacerdote ab excommunicatione, vel alia cenſura abſolvi, cùm aliàs non poſſet: quod tamen non placet Sanchez *loco cit.* & jure merito: quia, ſi fuit valida abſolutio, nulla ampliùs eſt neceſſaria: ſi non valuit, nullum jus abſolvendi, Sacerdoti aliàs non habenti, ſeu valenti abſolvere tribuit. Hæc omnia Boſſius *loco cit.* qui adducit, non eſſe damnandum pium Parochum hanc ſententiam ſequentem in praxi, & juxta eam ſepelientem defunctum, & Miſſam pro eo publicè celebrantem, ubi de facili non poteſt adiri Iudex excommunicator, vt ab eo abſolutio impetretur, antequàm defuncti corpus ſepeliatur: quæ omnia à Boſſio notata confirmant ea quæ à nobis *alibi* dicta ſunt, quicquid aliqui obmurmuraverint, adversùs quos omnia *ſuperiùs* dicta adnotare volui. Non nego tamen, contrariam ſententiam eſſe probabiliorem, quam noviſſimè tuetur Leſſius *in 3. p. D. Thomæ cap.7. de excomm. dub.3. num.18.* Sup. hoc in Reſ.1. not. præteritæ, §. Notandum, & §. vlt. & in Reſ.2. §...ad med. & in Reſ 4 § Sed, & in fine. Reſ. 5. Alibi in Reſolutionibus præteritarum annotationum.

## RESOL. CCIX.

*Quid faciendum ſit cum excommunicato, qui tempore mortis dedit ſigna contritionis, ſed non fuit abſolutus?*

*Et qui mortuus eſt excommunicatus, & ſi non conſtat mortuum eſſe in peccato mortali, an poſſit prælatus eum abſolvere à cenſura, vt in Eccleſia ſepeliatur, ſi non dedit ſigna contritionis, vel poſſit poſt ejus mortem ſumi Bulla, ſi illam antea mortuus non habebat, & per eam eum abſolvere ab excommunicatione?* Ex part.5. tract.9. Reſol.24.

§.1. AD hoc quæſitum ita reſpondet Villalobos *in ſum. tom.1. tr.16. diffic.20. n.20.* [Advierta ſe mas, que el que no puede ſer abſuelto en el articulo de la muerte de la deſcomunion, ſi pidio penitencia, y dio ſeñales de contricion puede ſer abſuelto deſpues de la muerte, no de los pecados (que eſſo es coſa llana) ſino de la deſcomunion para que lo entierren en lugar ſagrado, y digan por el Miſſas, &c.

y no

y no le puede abſolver entonces qualquier Sacerdote ( que ya paſsò el articulo de la muerte ) ſino ſolo aquel aquien eſta reſervada , como conſta del derecho , y lo dizen Innocencio, Panormitano, Navarro, y Silveſtro. Y eſtas ſeñales de penitencia que da uno antes de la muerte , baſta que ſe prueven con un teſtigo , como dize Enrico , Boich , y Aſtenſe , porque eſto no ſe haze prejuizio à nadie : mas ſi no va abſuelto de la cenſura, aunque aya dado ſeñales de contricion, no puede ſer enterrado en lugar ſagrado, como dize el texto citado. ] Sic ille, cui adde Moſcoſum *in ſum. tract. 16. cap.7. num. 5.*

Quamvis nō plenè ſup. hoc lege tamen ſup. doctrinam Reſ. 66 & quāvis pro excom. tolerato vide Reſ. 69. & 70.

2. Non deſinam tamen hîc adnotare ea quæ docet Antonius Fernandez *in inſtruct. ſacerd. p.6. docum.6. n.5.* ubi ſic ait. [El que murio deſcomulgado ſin Bula, y ſin ſeñales de contricion, como no conſte que murio en pecado mortal , lo puede el Prelado abſolver de la cenſura para el entierro en la Igleſia. Y aunque Enriquez *lib.7. cap.20. lit.2.* diga que ſe le puede tomar Bula , y abſolverle de la cenſura , no puede ſer, porque de vivos no tiene Bula , y la de difuntos no tiene eſſe privilegio de abſolucion. ] Vide etiam Rodrig. *in add. ad Bull. §.5. num.53.*

Sup. hoc in tom.4. tr.3. Reſ.175. §.1. propè fin. à verſ. Moveor, & in Reſ.176.

## RESOL. CCX.

*An non ſolum Clericus , ſed etiam laïcus poſſit in articulo mortis à cenſuris abſolvere ?*

*Idem dicendum eſt de interdictione.*

*Et ſi aliquis ita fuit abſolutus à laïco in articulo mortis, an hæredes debeant poſtulare abſolutionem ab eo , qui poteſt abſolvere, vt detur ei defuncto Eccleſiaſtico ſepultura , & poſſint fieri communia ſuffragia pro eo.*

*Et curſim nota, quod ſi cenſura fuit reſervata, & aliquis ab illa non fuit abſolutus in vita, non poteſt poſt mortem à quolibet Sacerdote relaxari, ſed ſolum ab eo, cui reſervatur, vel ejus delegato.* Ex p.5. tract.9. Reſ.7.

§.1. NEgativam ſententiam ex Suar. & Vaſquez docet noviſſimè Faber *de cenſuris in 4. ſent. diſt.25. q.1. diſp.4. cap.8. n.257.* & Turrianus *de cenſuris lib.2. diſp.24. dub.4.* Præpoſitus *in 3. p. q.1. de cenſ. in communi, dub.14. num.95.* Villalobos *tom.1. tract.16. diffic.20. num.18.* & Hurtado *de excomm. diſp. 5. diffic.1. num.3.* quia ea poteſtas nullo jure, nec conſuetudine, habito, aut conſtante conceſſa invenitur niſi ſolis Sacerdotibus : & ſolùm eo fine vt à peccatis abſolvant, quia abſolutio à peccatis eſt maximè neceſſaria ad ſalvationem , non verò abſolutio ab excommunicatione , quia excommunicatio ratione ſui non impedit ſalvationem , imò id quod poſt mortem manet excommunicationis, auferri poteſt poſt ipſam mortem; unde non eſt contra pietatem Eccleſiæ, quòd eam non concedat non Sacerdotibus. Et hanc ſententiam docent etiam Doctores, quos adduxi *in 3. p. tractat.4. reſol.133.*

Quæ nunc hanc ſequetur, & in Reſ. 212. & 213. & in Reſ 214. §. Sed. ad med. & ſup in Reſ.208. §. Sed aliqui, & in tom.3. tr 1. Reſ.43. §. penult.

2. Sed ibi pro affirmativa ſententia aliquos adduxi, quibus nunc addo Ragucium *in lucerna Parochorum, tit. de abſolut. q.124. n.6.* Sancium *in ſelectis diſp.14. n.7.* & Ioannem de la Cruz Dominicanum *in director. conſcient. part.2. de excom. dub.5. concl.1.* ubi ſic ait. In articulo mortis vir baptizatus etiam laicus , etſi ſit hæreticus & præſciſſus, abſolvit ab excommunicatione. Ita Sylv. *verb. abſolutio 8. & 9.* Angel. *verb. abſolutio 1.* Ledeſma *cap.8. de excomm. dub.4.* contra Soto *d.18. q.4. art.4.* & Covar. *in cap. alma mater 1. p. §.11. n.9.* & contra alios ab eo citatos. Sed patet, nam vir baptizatus eſt capax juriſdictionis neceſſariæ pro abſolvendo ab excommunicatione , ergo piè credendum eſt , vt ait Armilla *ver. Abſolutio*, Eccleſiā concedere illam tunc, ſicut in ſimili caſu concedit omnibus Sacerdotibus abſolvere ab omnibus peccatis , quia ſunt capaces illius. Omnes item concedunt Clerico primæ Tonſuræ poſſe tunc abſolvere ab excommunicatione. Ergo idem dicendum de viro ſolùm baptizato, cùm ſtando in jure divino, uterq; ſit incapax talis juriſdictionis.

3. Notandum eſt tamen hîc quòd ſtando in prima opinione , ſi aliquis in articulo mortis abſolutus fuit à laico , debent hæredes poſtulare abſolutionem ab eo, qui poteſt abſolvere, vt detur illi defuncto Eccleſiaſtica ſepultura, & poſſint fieri communia ſuffragia pro eo , Ita ex Vaſq. Turrian. *loco cit.*

4. Nota etiam hîc quòd Præpoſitus *ubi ſupra, n.97.* tenet , quòd probabile eſt omnem Clericum poſſe abſolvere à cenſura ſaltem excommunicationis, & interdicti perſonalis in mortis articulo : de excommunicatione indicatur *§. præterea, cit.* ubi habetur in mortis articulo poſſe etiam ſpecialiter excommunicatum abſolvi ab alio, quàm ab eo, qui excommunicavit , vel Superiore, ubi per alium videtur intelligi is, cui poteſt cōmitti juriſdictio Eccleſiaſtica.

5. Dices, talis abſolutio nec magnopere utilis eſt, nec neceſſaria, quia excommunicatus, qui dedit ſigna doloris, poterit poſt mortē abſolvi. Reſpond. negando priorem partem , licèt enim deficiente Sacerdote non ſit utilis ad conſequendum beneficium abſolutionis ſacramentalis, poteſt tamen eſſe utilis, ut amenti præbeatur viaticum , item vt publicè pro eo oretur; vt donetur ſacra ſepultura , quod non poſſet fieri à quovis poſt mortem, ſi cenſura eſſet reſervata : nam quando aliquis non fuit in vita abſolutus , ſi cenſura ſit reſervata ; non poteſt poſt mortem à quolibet Sacerdote relaxari , ſed ſolùm ab eo, cui reſervatur, vel ejus delegato.

## RESOL. CCXI.

*Si laicus quidam abſolvit ab excommunicatione morientem , quæritur , an abſolutio ſit valida , ita vt in loco ſacro defunctus ſepeliendus ſit.*

*Et an hæredes ita abſoluti teneantur adire Papam , vel excommunicantem pro abſolutione; vel poſſint ſepelire defunctum in loco ſacro , & pro eo facere Miſſas celebrare.*

*Et an laicus in prædicto caſu , & mortis articulo poſſit moribundo concedere Indulgentiam Bullæ Cruciatæ,* Ex part.3. tract.4. Reſol.132. alias 133.

§.1. NEgativè reſpondent communiter, quia ad abſolvendum aliquem ab excommunicatione requiritur juriſdictio Eccleſiaſtica , quam laicus non habet , Ergo , &c. Et ita docent Villalobos *in ſumma , tom.1. tract.6. diffic.20. num.14.* Layman *in Theol. mor. lib.1. tract.5. cap.6. num 2.* Coninch *de Sacram. diſp.14. dub.16. num.256.* Suarez *de cenſ. diſp.7. ſect.6. num.6.* Sotus *in 4. diſt.18. q.4. art.4.* Covar. *in cap. alma mater, part.1. §.11. num.9.* Garſias *de beneficiis , tom.2. part.12. cap.5. n.353.* & alij.

2. Sed ego cum Avila *de cenſ. p.2. cap.7. diſp.1. dub.2.* probabilem puto contrariam ſententiam, quam tuentur Doctores, quos citat, & ſequitur Ioan. Valerus *in differentiis utriuſque fori, verb. abſolutio, differ.13. n.2.* quibus ego addo Ioann. de la Cruz *in direct. part.2. de excom. cap.8 dub.4. concl.1.* & Ledeſm. *in ſum. tom.1. de excom. cap.8. dub.4.* Sancium *in ſelect. diſp.44. n.7.* Ragucium *in lucerna Parochorum, de abſolutione, q.124.* alterum Ledeſm. *part.4. q.26. art.1.* Sed audiamus Valerum *loco citato n.3.* ubi ſic aſſerit: Effectus prædictæ abſolutionis ſecūdùm præcitatos DD. maximus eſt, ſcilicet, quòd hæredes abſoluti non tenebuntur adire Papam, nec excommunicantem pro abſolutione petenda; poterúntque ſepelire defunctum in loco ſacro, & pro eo facere Miſſas celebrare, licèt id impugnēt Sotus & Covar. quorum opinionem in rigore juris veriorem exiſtimo.

exiſtimo. Sed non damnarem pium Parochum ſequentem contrariam, & juxta eam ſepelientem defunctum, & Miſſam pro eo publicè celebrantem, maximè ubi de facili non poteſt adiri ad judicem excommunicantem, vt ab eo abſolutio impetretur antequam defuncti corpus ſepulturæ tradatur. Itaque præfata abſolutio multum proderit quoad prædicta. Ita Valer. *ubi ſup.* qui etiam notat, vt nos alibi diximus, laïcum in prædicto articulo mortis poſſe moribundo concedere indulgentiam plenariam Bullæ Cruciatæ, & citat Navarrum *de indulg. notab.* 3. *n.* 3. Sed prima ſententia eſt probabilior, & communis, quia Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. ſolis Sacerdotibus hanc facultatem concedit.

## RESOL. CCXII.

*An laïcus poſſit abſolvere morientem à cenſuris?*

*Et an poſſit laïcus, quando non eſt Sacerdos applicare moribundo Indulgentias Bullæ Cruciatæ?* Ex part. 3. tract. addit. Reſol. 12.

§. 1. PRo hac ſententia negantes Doctores adduxi *in 3. p. tract.* 4. * *reſol.* 133. ſed pro affirmativa ſententia ibi adduxi etiam plures authores. Cuidam Caſuiſtæ unius ſummæ viſæ eſt hæc opinio improbabilis, ſed immeritò. Nam illam cum Avila *loco citato in dicta reſol.* probabilem eſſe cenſeo, & præter DD. citatos abſolutè tenet hanc ſententiam noviſſimè Philippus de la Cruz *in theſ. Eccl. tract.* 1. §. 12. *n.* 4. ubi ſic ait. [ Noteſe tambien, que quando el penitente eſtando la hora de la muerte, no puede confeſſar algun pecado, aun en general qualquiera ſacerdote le puede abſolver de las cenſuras: y auſente el ſacerdote, eſto es no haviendole, qualquiera, aunque ſea ſeglar: y lo tengo por comun, Rodriguez dice lo puede hazer de prima tonſura, que en mi opinion todo es uno, eſto es que todos tienen igual potencia, como lo digo en el libro que intitulo, Norte de Confeſſores, y es dotrina de Sylveſtro, fray Pedro de Ledeſma, fray Ioan. de la Cruz, y otros, loſquales dizen, que qualquier fiel bautizado aunque ſea lego, y aun herege, puede abſolver de las cenſuras. Dize lo fray Ioan. de la Cruz en dos palabras: ] *In articulo mortis vir baptizatus etiam laïcus, etſi ſit hæreticus, & præciſus, abſolvit ab excommunicatione.* [A algunos ha eſpandado eſto, y no ſe porque, que doctrina es comun; digolo aſſi, por havermelo preguntado algunos, aquienes he ſatisfecho con razones, y autoridad, y aſſi baſte eſto acerca deſta materia.] Ita ille. Notandum eſt etiam hîc obiter, poſſe Laïcum in articulo mortis, quando non adeſt ſacerdos, applicare moribundo Indulgentias Bullæ Cruciatæ. Ita ego alibi, & noviſſimè Ægidius Trullench *in Expoſ. Bullæ Cruciatæ, lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 19. *n.* 6. ubi citat Navarrum & Reginaldum.

## RESOL. CCXIII.

*An ſi non adſit Sacerdos, liceat laïco abſolvere moribundum à cenſuris, vt non careat Eccleſiaſtica ſepultura?*

*Et an in tali caſu, quando abſolutio à Sacerdote obtenta non eſt, vt poſt mortem proſit abſolutio à laïco data, expediat, vt obtineatur nova abſolutio ab eo cui excommunicatio erat reſervata, ſi commodè fieri poſſit:* Ex part. 5. tract. 3. Reſol. 77.

§. 1. PRo ſententia affirmativa, & negativa plures Doctores adduxi *in 3. p. tract.* 4. *reſol.* 133. & *ibi* affirmativam ſententiam etiam probabilem eſſe docui, & docet etiam Layman *lib.* 1. *tr.* 5. *part.* 2. *cap.* 6. *n.* 2. ubi negativam ſententiam, quam ipſe tenet, vocat tantùm probabiliorem, & pro Affirmativa adducit gloſſam, Abbatem, Sylveſtrum, & Armillam, quibus ego addo Philippum de la Cruz *in Norte de Confeſſores, tract.* 1. §. 1. ubi ſic ait. [No hablo aqui de la abſolucion de las cenſuras, que puede abſolver dellas en el articulo de la muerte, no ſolo el aprobado, ni el ſimple Sacerdote, pero qualquier fiel bautizado, aunque ſea herege, con la comun, como lo dizen Sylveſtro, y Covarr. La razon aunque breve es, que el Clerigo de prima tonſura puede abſolver de la deſtomunion, y aſſi por la miſma razon ha de poder qualquier bautizado. Porque eſtando en derecho divino; ambos ſon capaces de la tal juriſdicion, como es cierto, que al de primera tonſura no ſe le da facultad para abſolver al deſcomulgado por ella que no ſiendo Orden, no le proviene della. Y aſſi hemos de conceder lo general, en que pueden abſolver en tal caſo de las deſcomuniones todos los fieles, ſiendo bautizados, aunque ſon hereges, no oſtante, que otros digan lo contrario. ] Sic ille. Et poſt hæc ſcripta inveni hanc doctrinam docere noviſſimè Philibertum Marchinum *in ſuis Commentariis de bello divino, ſeu de peſte part.* 3. *cap.* 12. *num* 3. *& ſeqq.* ubi probat non ſolùm licere ſequi hanc ſententiam, cùm ſit probabilis! ſed etiam teneri omnes illam ſequi, quia cum iſta abſolutio lata à non Sacerdote vel à laïco, non poſſit nocere, ſed valdè prodeſſe morituro vt in loco ſacro ſepeliri, atque communibus Eccleſiæ ſuffragiis gaudere poſſit, charitas Chriſtiana poſtulat, vt data probabilitate hujus ſententiæ non illum in tanto periculo & neceſſitate ſpirituali deſeram abſque ullo meo incommodo. Et revera ſi Eccleſia pro articulo mortis confert juriſdictionem abſolvendi à cenſuris & peccatis cuilibet capaci talis juriſdictionis, hoc enim poſtulat Eccleſiæ benignitas, & favor animarum; ſed laïcus eſt capax juriſdictionis abſolvendi à cenſuris, ſi Papa velit eam illi demandare, quod à nemine negatur: ergo conjiciendum eſt illam eidem demandaſſe, atque hanc eſſe piam illius mentem, ne excommunicatus privetur poſt mortem communibus Eccleſiæ precibus, ſuffragiis, atque Miſſæ ſacrificio, cæteras rationes videbis apud ipſum.

Sup. hoc in Reſ. ſeq. §. 2.

2. Sed obſervandum eſt cum Trullench *in Bull. Cruc. lib.* 1. §. 7. *cap.* 2. *dub.* 5. *num* 7. & Sanchez *in ſumma tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 13 *n.* 13. quòd licèt ſupradicta opinio, nempe laïcum deficiente Sacerdote poſſe abſolvere à cenſuris, ſit probabilis, expedit tamen quoties à Sacerdote abſolutio obtenta non eſt, vt poſt mortem proſit abſoluto, obtineatur nova abſolutio ab illo, cui excommunicatio erat reſervata, ſi commodè fieri poſſit, quia ſi opinio dicta non ſit vera, carebit abſolutio valore ſuo, ac proinde poſtea non proderunt abſoluto Eccleſiæ ſuffragia.

Sup. hoc ſup. in Reſ. 208. §. Prædictæ, & in aliis ejus not.

## RESOL. CCXIV.

*An ſepelientes in Eccleſia excommunicatum abſolutum à cenſuris à laïco in articulo mortis peccent, & in pœnas, & cenſuram excommunicationis incurrant?*

*Et ſupponitur ſepelientes excommunicatum in majori excommunicatione, imo & lavantes & veſtientes, vel funus ducentes incurrere excommunicationem.*

*Et reſolutio ſupradictæ quæſtionis pendet etiam ab illa, an laïcus poſſit abſolvere à cenſuris in articulo mortis, nam Eccleſia, & ſaltem Summus Pontifex hanc facultatem laïco, & Clerico non Sacerdoti concedere poteſt, imo etiam & fœminis?*

*Et docetur, quod Eccleſiaſtica ſepultura deneganda eſt in caſu claro, & manifeſto, nam quando dubitatur, an cadaver ſepeliendum ſit, necne, tunc debet in loco ſacro ſepeliri: nam in partem favorabilem, & meliorem, inclinandum eſt.* Ex parte 8. tract. 7. & Miſc. Reſol. 79.

Sup. hoc, quod hic ſupponitur ſup. in Reſ. 71.

§. 1. SVppono ſepelientes excommunicatum majori excommunicatione, imò lavantes, vel veſtientes, vel funus ducentes, incidere in excommunicationem, ex gloſſa *in cap. ad hæc, de privileg.* & ex textu *in cap. ſacris, de ſepulturis*, ubi Abbas, *& in cap. cùm ad Monaſterium, de ſtat. Monach. & in cap. is cui, de ſentent. excomm. in 6.* Hoc ſuppoſito de hoc caſu his diebus interrogatus probabiliter reſpondi, Clericos ſepelientes, vt *ſupra*, in nullam cenſuram incurriſſe; quia, vt benè obſervat Lavorius *in variis lucubrationibus, titul. 2. cap. 11. num. 155. & cap. 12. num. 71.* Eccleſiaſtica ſepultura deneganda eſt in caſu claro, & manifeſto, nam quando dubitatur, an cadaver ſit ſepeliendum, necne, tunc debet in loco ſacro ſepeliri, nam in partem favorabilem, & meliorem eſt inclinandum, vt patet *ex dicto cap. ſacris, de ſepultur. & ex cap. non æſtimemus 23. q. 2.* & docet D. Antoninus *in 3. p. tit. 10. cap. 5. § 9. in fine.*

Quoad hoc in to. 8. tr. 8. lege doctrinam Reſ. 4. & ſignanter in to. 8. tr. 5. Reſ. 50 §. vlt. ad med. à verſ. & ideo ſalvo. & in tom 7. tr. 3. vide ex Reſ. 66. § 1. poſt med. & ex Reſ. 67. §. 1.

2. Sed in noſtro caſu pro mortuo excommunicato adeſt opinio probabilis, quòd licitè & validè à laico in articulo mortis abſolutus ſit. Ergo & ſepultura Eccleſiaſtica minimè arcendus erit, & Clerici illum ſepelientes immunes ſunt à pœnis inflictis à ſacris Canonibus; reſolutio igitur hujus caſus pendet ab illa quæſtione, an laicus poſſit abſolvere à cenſuris in articulo mortis? & affirmativam ſententiam ego probabiliſſimam eſſe puto, pro qua adduxi plures Doctores *in part. 5. tract. 9. reſol. 7.* quibus nunc addo Stephanum Baunium *in Theolog. moral. part 2. de cenſur. in communi, tract. 1. quæſt. 3.* qui has adducit rationes à me ſuprà breviter tactas. *Primò*, Chriſtianus quilibet in quocunque neceſſitatis articulo, tenetur divina ac naturali lege, graviter laboranti opem ferre quam poteſt; ergo & præciſo neceſſariis ad animæ ſalutem remediis indigenti, qualia ſunt novæ legis Sacramenta, non negare ea, ſine quibus hæc ei præberi nequeunt, nam ſi ſecus ageret, immani ſe ſcelere obligaret: iſtud autem eſt cenſuræ relaxatio, hanc ergo laicus negare nec poteſt, nec debet agenti animam, hoc eſt, in mortis articulo, ejúſque periculo, conſtituto. Si enim hæc poteſtas dari poteſt à Pontifice laico, cùm eam concedi non eſt neceſſe, quid eſt cauſæ quamobrem in extrema ægri neceſſitate, eam Eccleſia laico datam nolit?

Quæ hic eſt ſup. Reſ 10. & in aliis ejus primæ annot.

3. Secundum argumentum bonitate ejuſdem Eccleſiæ nititur. Quàm enim eſt parum veriſimile periclitantibus illam filiis, eo maximè tempore, nolle ſuccurrere? aut ſepultura Catholica, piorumque ſuffragiis privare eos velle? Deinde ſi redintegrandi hominis jus ac poteſtas, laico dari poteſt, cùm eam tamen concedi nihil eſt neceſſe, dubitare, an in dubiis ac periculoſis ægri temporibus, illam Eccleſia, laico datam eſſe velit, quid eſt aliud quàm ejus charitati, prudentiæque injuriam facere?

4. Objiciunt adverſæ partis fautores. *Primò*, gloſſam *can. ultimi, cauſæ 24. quæſt. 1.* in qua eſt, in ſpiritualibus láicum, etiam in mortis articulo, nihil poſſe, niſi quod eſt illi expreſsè conceſſum in jure, quo de numero non eſt cenſuræ relaxatio, etiam in mortis articulo.

5. Reſpondetur huic gloſſæ, duas eſſe contrarias, *Prima* eſt *in cap. à nobis, verb. non poterit, de ſentent. excommun. Altera in cap. paſtoralis, §. præterea, de officio judic. Ordinarij.*

6. Dicendum ſecundò, quæ petuntur ex gloſſa allata, ſententiæ noſtræ non officere, ait enim, de omnibus quæ ſpectant ad officium Sacerdotis, illud ſolùm licere laicis, credo, in neceſſitate, de quibus expreſſum invenio. At abſolvere à cenſuris, res non eſt functionis ſacerdotalis neceſſariò, cùm non Sacerdos, juriſdictione Eccleſiaſtica inſtructus, in externo foro id poſſit, vt eſt *in cap. tranſmiſſam 15. de electione.*

7. Objiciunt ſecundò. Cauſa cur in mortis articulo, cuivis Sacerdoti liceat, de cenſuris quibuslibet abſolvere, locum non habet in laico: nihil eſt ergo rationis cur ei tum in eas arbitrium detur ac poteſtas.

8. Antecedens probatur, ideo voluntate Dei & Eccleſiæ, Sacerdos quilibet, quemlibet in extremis verſantem reddere poteſt Eccleſiæ, ſolutis tamen antè nexibus, quibus tenebatur quod peccata his manentibus ab eo remitti nequeant; ergo cùm laico jus in peccata competere nullum queat, nec in cenſuras competet.

9. Antecedens eſt negandum, cum conſequentia confirmationis, nam cùm nulla ſit inter cenſuras, peccatáque neceſſaria connexio, à cenſuris poteſt quis eximi, peccatis inſolutis quorum eſt in Tribunali Dei reus, nam ex quo Epiſcopus, electionis ſuæ confirmationem accepit, quamvis ſacerdotali charactere necdum inſignis, Cœleſtini III. judicio de talibus & conſimilibus (hoc eſt, excommunicatis ac ſuſpenſis) præter ea, quæ majoris inquiſitionis diſcuſſionem exigunt, & miniſterium conſecrationis deſiderant, quod juſtum eſt, & Eccleſiaſticæ convenit utilitati, ſtatuendi habet liberam facultatem: remitti ergo ſine peccatis cenſuræ poſſunt, necnon ab alio, quàm Presbytero. Et hæc omnia docet Baunius *loco citato*; ſed quia ſcio quendam virum doctum ex Dominicana familia contra me olim acriter inſurrexiſſe, non deſinam hîc adnotare quòd hanc ſententiam ex ſchola D. Thomæ docet D. Antoninus, Sylveſter, Tabiena, Ioannes de la Cruz & noviſſimè P. M. Candidus *tom. 1. diſquiſ. 22. art. 55. dub. 5.* ubi ſic ait. Piè ſatis, & probabiliter dicendum mihi videtur laïcum, & multo magis Clericum non Sacerdotem in articulo mortis poſſe abſolvere à cenſuris, quæ obſtant ſuſceptioni Sacramentorum & Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Nam Eccleſia ſaltem Summus Pontifex poteſt hanc facultatem laico & Clerico non Sacerdoti concedere, imò etiam & fœminis, vt docet Paludanus *in 4. diſt. 19. quæſt. 2. art. 1.* Sotus *in 4. diſt. 20. quæſt. 1. art. 4. verſùs finem.* Suarez *tom. 5. de cenſuris, diſp. 2. ſect. 3. num. 7.* Navarr. *tom. 2. conſil. lib. 5. de ſentent. excomm. conſil. 1.* ergo piè, & probabiliter credendum eſt in articulo mortis conceſſiſſe, & hanc eſſe ejus voluntatem. Probatur conſequentia; quia etiamſi laicus, & Clericus non Sacerdos, non poſſint abſolvere à peccatis, ipſa abſolutio à cenſuris per ſe eſt valdè utilis, multúmque poteſt conferre ad ſalutem animæ, vt ſaltem ſic abſolutus poſſit in loco ſacro ſepeliri, & vt pro eo ſacrificia offerantur: ergo cùm Eccleſia omnibus modis fidelium ſalutem procuret, & propterea in illo articulo det juriſdictionem ad abſolvendum à peccatis, omnibus, qui ſunt capaces illius, eadem ratione credendum eſt dare illam ad abſolvendum à cenſuris, omnibus, qui ſunt capaces talis juriſdictionis, cujuſmodi ſunt laici, & Clerici non Sacerdotes. Ita Candidus. Dicendum eſt igitur noſtram ſententiam poſſe ac debere amplecti, unde poteſt à laico in articulo mortis abſolutus in loco ſacro ſepeliri, & pro eo ſacrificia offerri.

Sup. hoc ſup. in Reſ. 10. §. Prædict. & in aliis ejus annot.

*In Indice primo hujus Tom. 5. lege Apendicem ad hunc Tract. 1. ubi reperies alias quamplurimas miſtas, & diſperſas per alios Tom. Tract. & Reſ. quæ ſimul pertinent ad hunc Tract. 1. de Excommunicatione, &c.*

TRACTA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN